# DE CULTU
# JESUI CHRISTO
## A MAGIS ADHIBITO

*ADVERSVS*

RICHARDUM SIMONIUM
ET SAMUELEM BASNAGIUM

## *DISSERTATIO*

AUCTORE


LIBERATO FASSONIO

DE CC. RR. SCHOLARUM PIARUM

IN NOVO COLLEGIO CALASANCTIO

PUBLICO SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE.



ROMÆ MDCCLVI.

EX TYPOGRAPHIA JOHANNIS ZEMPEL PROPE MONTEM JORDANUM.

---

*SVPERIORVM PERMISSV.*


Digitized by Google

*IMPRIMATUR,*

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſgerens.*

---

*IMPRIMATUR.*

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

# EDUARDO CORSINO
## CLERIC. REGUL. SCHOLARUM PIARUM
## PRÆPOSITO GENERALI.

LIBERATUS FASSONIUS S. P. D.

*NEC meæ rationes poſtulant, nec patiuntur tuæ, ut multis ego Te morer,* Eduarde Præses Amplissime. *Cur enim lucubrationem hanc in tuo nomine apparere voluerim, cauſſæ fecerunt tres, quæ ſingulæ loquuntur ipſæ per ſe, nullius oratione longius repetitæ; præclara, quam ſuſtines, perſona, ac dignitas, ſummum meum de ſingulari virtute tua judicium, magnitudo tuorum erga me meritorum. Dignitas, in qua cunctis noſtrorum ſuffragiis collocatus es, videbatur a me jure quodam ſuo requirere, ut Tibi Magiſtratui noſtro, Patrique porro amantiſſimo, & eximia morum ſuavitate ſpectabili, egregiam aliquam ſtudii, pietatiſque in Te meæ ſignificationem afferrem. Nec minus doctrinæ ſplendor, qui me totum in Tui ſpectaculum rapuit. Nam obverſabantur mihi ante oculos Inſtitutiones tuæ Philoſo-*



Digitized by Google

*phica brevi intervallo temporis in lucem jam ter emiſſa, obverſabantur libri de re Mathematica nova ratione, & via, novo rerum delectu latine, atque italice editi, obverſabantur lectiſſima Faſtorum Atticorum volumina magno hominum favore excepta, obverſabantur Diſſertationes Agoniſticæ Lipſienſibus tam probatæ, eas ut nuper ſuorum uſibus iterum invulgaverint: ad hæc mihi veniebant in mentem Plutarchus latine a Te redditus, quem hinc animadverſiones exquiſitiſſimæ illuſtrarent, inde exercitationes inſtar appendicis duæ, opus de Notis Græcorum compendiariis, ſex idem aureis Diſſertationibus, tanquam luminibus, diſtinctum, Inſcriptiones Atticæ ex Maffei ſchedis nitidiſſima a Te luce perfuſæ, perdoctus de Minniſari, aliorumque Armeniæ Regum Nummis commentarius, ubi novam adverſus ſuperiores Chronologos Parthorum Epocham firmiſſime ſtatuiſſes, commentarius alter de ſanctiſſimis Anconitanæ urbis Patronis per hos dies emiſſus, in quo de illorum corporibus opera in primis tua rite exploratis, veterique, quam habent, veneratione ſplendide diſſeris: hæc, inquam, & complura alia ingenii tui monumenta, quæ in luce ſunt, atque in oculis omnium, ipſa mihi per ſe veniebant in mentem, tum vero in hac tanta laudum tuarum amplitudine admirabilis quædam in me exarſit obſervantiæ magnitudo. Cum præſertim ad doctrinam reliquas virtutes animi viderem accedere, quibus ex rebus præclarum aliquid, & ſingulare ſolet exiſtere. Benevolentia denique erga me tua locupletiſſimis ſæpe argumentis patefacta eſt, tunc præſertim, cum me Romam in hoc Calaſanctium Collegium, ubi antea Philoſophiam, Mathematicaſque diſciplinas tradideram, ad docendam Theologiam perhonorifice revocaſti. Arripiendam igitur occaſionem putavi, ut me dignitatis tuæ obſervantiſſimum, doctrinæ, ac virtutis percupidum, beneficiorum, ut debeo, memorem, planeque gratum oſtenderem. Quo munere ut cumulatius defungar, Præfecturam hanc ampliſſimam, in qua lenitatem magis veremur tuam, quam metuamus auctoritatem, Deum Tibi immortaliter fortunare mirifice cupio, atque vehementer exopto.*

DE

Digitized by Google

# DE CULTU JESUI CHRISTO A MAGIS ADHIBITO.

1. EXcelſo, fortique animo te eſſe jubeo, amice Lector. Nam, ut ex ipſa inſcribendi opuſculi ratione intelligere tute potes, de Magorum neque numero, neque nominibus, neque patria, dignitate, ſtudiis, itinere, reditu, neque de aliis rebus ejuſmodi ad dicendum ingredior. Sunt hæc enim argumenta a noſtris non ſolum, verum ab exteris etiam Theologis, atque Scriptoribus in utramque partem tam ſplendide, & copioſe tractata, ut de illis dedita opera ſcribere intemperantis videatur eſſe hominis otio, & litteris abutentis. Inſtar omnium eſſe poſſunt, ut antiquiores omittam, Cardinalis Baronius, Petrus de Marca, Bailletus, Natalis Alexander, Calmetius, Honoratus a S. Maria, Serry, Lutheranus homo Olearius, Caſaubonus, Montacutius, Rhodenus, Grotius, Baſnagius, aliique, quorum nomina, & opuſcula ea ſuper re in Bibliotheca ſacra annumeravit Calmetius. Quæ cum ſint, boni Lectoris patientiam tentare nolo. Mihi longe illuſtrius, planeque fructuoſius argumentum perſequi propoſitum eſt, ejus generis ſcilicet, quod non jucunditate ſolum, uſu in primis, atque præſtantia, ſed etiam quadam veluti novitatis ſpecie ſe ſe commendet, Magi ne, qui ex Oriente profecti ad Chriſti

incu-

incunabula ſe contulerunt, eundem tanquam Deum venerati ſint, & coluerint. Etſi enim id a Majoribus noſtris, immo ab ultima antiquitatis memoria conſtantiſſime traditum acceperimus, ut in loco adverſus Simonium omnium ætatum præjudiciis demonſtrabo; noſtri tamen Theologi, & Scriptores, verba de Magis cum faciunt, de cultus genere, quo illi Chriſtum puerulum proſecuti ſunt, ſiluerunt, & argumentum, ex quo Chriſti divinitas elucet admirabiliter, ut plurimum reliquerunt, nemo unus certe quidem exhauſit. Atqui digna plane erat res, in qua illuſtranda docti illi viri, ſacrarumque præſertim litterarum interpretes operum collocarent, eo magis, quod non defuerint liberioris ingenii homines, qui leviſſimis conjecturis confiſi ei doctrinæ incommodare ſtuduerint.

2. Eraſmus enim Roterodamus, melior alioquin Rhetoricus, quam egregie doctus Theologus, poſtquam Lutherus, & Calvinus ad novandum in Chriſtiana Republica aggreſſi ſunt, confidentiſſime ſcripto prodidit, Magos civili, non religioſo, nec ſacro Chriſtum puerulum cultu adoraſſe, nec proinde divinam ejus naturam, ac vim perſpectam, exploratamque habuiſſe. Sed Sebaſtianus Barradius (*a*) hominis temeritatem, levitatemque ſententiæ, oratione ad illum converſa, paucis pro virili coercuit. Longo poſt intervallo Hugo Grotius, cui magis doctrinam, quam modeſtiam invideas, ſuis in Matthæum Commentariis ejuſdem erroris patrocinium, Socino (*b*), & Crellio (*c*) ducibus, in ſe ſuſcepit, non dubitanter profeſſus, a Magis Chriſto, tanquam deſignato Judæorum Regi, non tanquam Deo, civilem fuiſſe cultum, honorem, ac venerationem adhibitam. Grotii in caſtra ſe contulit, magnum apud ſuos nomen, Samuel Baſnagius, quin potius nonnullis ſophiſmatis, & ratiunculis eam opinionem Socinianis probatam omnibus conatus eſt illuſtrare. Sic enim in Annalibus, expoſita ſuperiorum Patrum doctrina, quid ipſe ſentiat, aperit (*d*). *In dubium tamen revocari poteſt, num notitia Magorum eo uſque pervenerit, ut compertum haberent, infantulum, quem vagientem intuebantur, orbis conditorem eſſe unum cum Patre Deum, cum hoc ipſum vel ipſos Apoſtolos latuerit ante Domini ſui reſurrectionem. Regem ergo cœleſtem divina imbuendum ſcientia, clarum ſanctitate, miraculis, potentia futurum Magi agnoverunt, æqualem tamen Deo eſſe adhuc ignoraviſſe videntur. Regem Judæorum vocatum terrenis muneribus honorant, eo more, quo Mundi*

(*a*) Tropol. lib. 9. cap. 14. (*b*) Hiſt. Crit. de Comment. cap. 46.
(*c*) In cap. 2. Matth. (*d*) Ad ann. 5. ante Chriſt. §. 61.

*dì Principes colebantur : ut, omnibus perpenſis, eorum adoratio ad civilem potius , quam ad religioſam pertinere merito exiſtimetur* . His a principio verbis homo divinorum conſiliorum interpres Magorum ſanctimoniam, pietatemque adverſus Deum extenuat.

3. Grotium tamen, Baſnagium, ſimiles, qui ſacrorum librorum oracula pro arbitrio interpretantur, ita ſentire, atque ſtatuere, vix eſt, quod miremur; illud profecto mirandum magnopere, atque dolendum eſt, hæc opinionum monſtra homini etiam Pontificio, ideſt Richardo Simonio, Sacerdoti Gallo, placuiſſe. Quid tibi in mentem venit, Richarde, ut ſacris litteris, ut Patrum conſenſu, ut rationum momentis repudiatis, in adverſariorum te fidem, & clientelam reciperes? Age rem ab ipſa altius origine repetamus. Trevoltii anno 1702. in lucem exiit Gallica novi Teſtamenti Interpretatio multiplicibus aucta notis, a Richardo Simonio ſine dubio adornata. De qua, vix in manus hominum emiſſa eſt, varia, ut ſolet, ac repugnantia eruditorum fuerunt judicia. Alii, Heterodoxi cumprimis, quibuſcum ille, teſte Boſſuetio, pactionem inierat de ſacris litteris gallice ita reddendis, ut neutri parti faverent, ſummis illam ad cœlum laudibus extulerunt; alii, ut poſtulabat res, graviſſime vituperarunt, quod plurima errorum portenta identidem præferat, aditumque ad pietatis igniculos reſtinguendos aperiat. Itaque factum eſt, ut eodem anno doctiſſimi in Gallia Antiſtites Cardinalis ampliſſimus de Noailles, & Jacobus Boſſuetius Meldenſis Epiſcopus decretis editis menſe Septembri variis nominibus pernicioſum opus notaverint, operiſque lectionem in ſua uterque Pontificia ditione interdictam voluerint. Nec his contentus Boſſuetius documentum præterea in lucem emiſit, quo plura Simoniani operis loca reprehendit, quibuſque Auctor abriperetur erroribus, demonſtravit. Interim moleſte ferens Simonius, editionem ſuam proſcriptam, ac notatam fuiſſe, Pariſienſi Pontifici de Noailles ſupplicem libellum, ſive Apologiam obtulerat, ut inuſtam ſibi, conſcriptoque abs ſe operi temeritatis, atque audaciæ ignominiam propulſaret. Præſto igitur pro ſuo in religionem ſtudio Boſſuetius, & documento e veſtigio addidit Appendicem, in qua rationes a Simonio excogitatas, ut Pariſienſis edicti vim elevaret, refellit, annoque poſtero documentum alterum in peculiaria Simonianæ interpretationis loca publicis uſibus invulgavit. Ad extremum res ad Romanam Curiam delata eſt, Patreſque librorum cenſuræ præpoſiti, diligenti cauſſæ inquiſitione, ut ſolet, adhibita, Simonii opus damna-

damnarunt [1] anno 1704. ad diem v Iduum Martiarum . Atque hos tandem exitus Trevoltienſis illa novi Teſtamenti Interpretatio habuit .

Richardus ergo Simonius, ut eo, unde digreſſa eſt, revertatur oratio, cum in Præfatione operi adſcripta, tum in notis ad ſecundum Matthæi caput appoſitis, dubium eſſe docuit, quemnam feliciſſimi illi Magi infanti Chriſto honorem, ſive cultum detulerint, civilem ne, an divinum, quem Latriæ græco vocabulo appellamus . Sed operæ pretium eſt verba hominis, quo dolus ejus, ac fraus appareat, recitare . *Non conſtat inter Theologos*,

1 Id autem meritiſſimo ob errores, quos dixi . Lucas verbi gratia ( 13. v. 27.) Chriſtum ſic loquentem inducit : *Diſcedite a me omnes operarii iniquitatis*, Simonius autem in Præfat. arma Socinianis ſuppeditans gallice ita vertit : *Diſcedite a me omnes, qui vivitis in iniquitate*. Apud Joannem ( 15. v.5. ), *ſine me nihil poteſtis facere*, ait Dei Filius ; ſic autem Simonius ; *vos nihil poteſtis facere ſeparati a me* ( per apoſtaſiam ), veterumque auctoritate neglecta, præclariſſimi teſtimonii pondus, quo mirifice Pelagiani oppugnantur, cum Slichtingio extenuat. Celeberrimum ex epiſtola, quæ eſt ad Hebræos, locum ( 9. v. 13. ) *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, duce Simone Epiſcopio, his verbis reddit, vel potius manifeſte depravat, *ego dilexi magis Jacob, quam Eſau*. Chriſti apud Lucam oraculum ( 19. v. 9. ) de Zachæi teſtantis familia, *hodie ſalus domui huic facta eſt*, Simonius in notis ad hunc locum appoſitis, ad ſolum Zachæum referri ſignificat . Cur vero ? Quia nempe ex Wolzogenio Sociniano homine acceperat : Chriſtus *per domum intelligit ſolum Zachæum*. Jam Matthæus ( 1. v.19. ) de Joſepho ſanctiſſimo Deiparæ conjuge : *Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus* ; in notis Simonius ; *cum eſſet honeſtus, æquus, urbanus, ad lenitatem compoſitus*, ſimilia, quæ tanti ſanctitatem viri magnopere imminuunt, & obſcurant . Joannis cap. 8. v. 58. divinus præceptor de ſe : *antequam Abraham fieret, ego ſum* : at in ipſo contextu Simonius, *ego eram, antequam Abraham naſceretur*, & a Latina non ſolum, verum a Græca etiam editione, & ſcriptura recedit quam longiſſime. Duo enim illa quantum inter ſe diſcrepent, exploratum Theologis. Tandem Lucas, ne plura congeram, *mutuum date nihil inde ſperantes* ( 6. v.35. ), & in notis Simonius, *nihil deſperantes*, Grotiumque dum ſequitur graviſſimum nobis eripit teſtimonium, unde uſuram divinæ legi contrariam eſſe conficimus. Quis autem hæc, & ſexcenta ejuſmodi, etſi moribus, ac natura leniſſimus, non ſtomachetur? Et tamen Simonius ſui proſcriptionem operis ægre adeo, & acerbe tulit, ut ex hac errorum colluvie complures poſtea palam defenderit, & novis, quoad potuit, præſidiis conatus ſit ſtabilire. Bibliot. Crit. Tom. 4. Invitus quidem facio, ut doctiſſimum cæteroquin virum expreſſo nomine reprehendam, nec eorum ego ſoleo inſultare erroribus, quorum eruditionem ſuſpicio ; ſed cum Heterodoxi nominis, & gloriæ celebritate noſtrorum ſæpenumero abutantur, & ex paucorum ingenio omnes æſtiment, notandam temeritatem putavi.

Interim, ne quid omittam, admoneo, decretum Cardinalis de Noailles extare in Collectione Mandatorum, ac Decretorum &c. ejuſdem Antiſtitis, quæ Pariſiis in lucem exiit anno 1718. pag. 359 — 367. Iterum autem prodiit decretum inter epiſtolas ſelectas Simonii una cum ejuſdem Apologia, de qua ſupra. Tom. 2. edit. Amſtelod. an. 1730.

*gos, de qua ſermo ſit adoratione in quibuſdam Evangelii locis, & utrum vera illa ſit, quæ uni Deo debetur, an vero ſimplex reverentia adverſus eos adhibita, quos ſalutamus*. Præfat. pag. 25. & in Apol. Paulloque poſt ſermonem de Magis inſtituens adjicit. *Non deſunt Interpretes vetuſtiſſimi, qui credant, Magos non modo tanquam Regem puerum Jeſum ſalutaſſe, ſed etiam tanquam Deum adoraſſe*. Quo vafro, ac ſubdolo ſcribendi genere ſatis perſpicue declaravit, perſuaſum ſibi non eſſe, quod homines ſanctiſſimi venerationem Chriſto Deo dignam habuerint, divinumque ejus Numen agnoverint. Cæterum *de Adoratione Magorum* integram videre eſt Diſſertationem cum Appendice in Bibliotheca Critica, quæ Pariſiis prodiit anno 1708, quo quidem in opuſculo de induſtria in diſceptationem vocatur, Magi ne puerulum Chriſtum religioſe veluti Deum coluerint. Ad hoc opuſculum nihil Boſſuetius. Quoniam vero Simonii Amicus, ut Bibliothecæ Auctor teſtatur, ex ejus reſponſis ad Boſſuetii animadverſiones totidem pene verbis illud excerpſit, Simonio nos tanquam architecto, & opifici jure merito tribuemus [2].

4. Atque hæc ſummatim de celebris controverſiæ, quæ ineunte hoc ſæculo in Galliis excitata eſt, initiis, & progreſſu exponenda eſſe cenſui, ne quæ poſtea in rebus a me tractandis ineſſet obſcuritas. Communem porro, longeque pervagatiſſimam noſtrorum ſententiam tuendam adverſus Simonium, atque conſtabiliendam ſuſcepit, præter Meldenſem Antiſtitem (*a*), æquiſſimus artis Criticæ æſtimator Honoratus a S. Maria (*b*), qui ex Boſſuetii fontibus hortos ſuos opportune irrigavit; eodemque poſtea de argumento pauca ab Antonio Sandini (*c*), paulloque plura a vi-

B ro

(*a*) Locis cit. Tom. 6. ejus Oper. edit. Argent. 1747. pag. 547 — 530. 562 — 570. & pag. 649. (*b*) Animadv. in reg. & uſum Crit. Tom. 2. Diſſer. 4. Art. 5. 6. 7. (*c*) Hiſt. Famil. ſac. cap. 3.

2 Extat hæc Diſſertatio Biblioth. Criticæ Tom. 2. cap. 8., & 9., ſic autem inſcribitur. *Diſſertation Critique ſur l'Adoration des Mages. On examine, s'ils ont, connu la Divinitè des Jeſus-Chriſt, & s'il eſt vrai, que tous le Theologiens, a la reſerve de Sociniens, leur attribuent l'adoration de Jeſus-Chriſt, comme Dieu, & que cette adoration eſt une Tradition inconteſtable. Cette Diſſertation a ètè ſans doute composèe par quelque Ami de M. Simon ſur les reſponſes, qu'il avoit faites aux notes manuſcrites de M. l'Evêque de Meaux, que ce Prelat envoya a Monſieur Bou-ret, demandant inſtamment, qu'on y rèpondit. La Diſſertation a ètè priſe de ſes rèponſes preſque de mot à mot, & elles ont ètè entre les mains de pluſieurs perſonnes*. Honoratus a S. Maria Bibliothecam hanc Criticam ſcribit, prodiiſſe in lucem Baſileæ anno 1709, nos vero prodiiſſe Pariſiis diximus anno 1708. Loci, & temporis diſcrepantia inde fortaſſe naſcitur, quod auctor ille aliam a noſtra editionem ad manus habuerit.

Digitized by Google

ro longe doctiſsimo Laurentio Berti (a) diſputata reperio. Verumtamen clariſsimorum Auctorum lucubrationes haud ſane efficiunt, ne res neſcioquam adhuc præ ſe novitatis ferre ſpeciem, in Theologorum præſertim umbraculis, videatur. Ego igitur Simonium juxta, ac Samuelem Baſnagium refellere eadem opera inſtituam demonſtraturus pro viribus, dubitari nullo pacto poſſe, quin Magi ad Chriſti pedes abjecti eundem ex animo veluti Deum coluerint, divinamque ejus originem, & qua complet omnia, majeſtatem bono maximo, immortalique ſuo intellexerint. Quæſtionem vero ita dirimam, ut ſublatum, vel certe exagitatum ab aliis ad oppugnandos Socinianos argumentum noſtris reſtituam, & qui perhumaniter oculos in hanc opellam conjecerint, eos fortaſſe pœnitere aliquando non debeat, bonas horas inutiliter collocaſſe. Ex his autem fontibus, unde omnis cauſſa ducitur, mea proficiſcetur oratio. Primum enim ex ſacris litteris adverſarios refutabo, deinde ex doctrina per manus a Majoribus tradita, deinde ex ſtatis Eccleſiæ precibus, atque ſententia, deinde ex ipſo munerum, quæ Magi obtulerunt, myſterio, poſtremo denique ex rationum momentis. Suis etiam loco, & tempore concordiſſimum Theologorum conſenſum in lucem proferam veritatis, & quæ contra ab adverſariis allata ſunt, ita diluam, ac diſſolvam, ut facile appareat, eoſdem deſertarum, relictarumque rerum patrocinium inani contentione ſuſcepiſſe.

5. Principio igitur, Magos Chriſtum veluti Deum pie, ſanctequè veneratos fuiſſe, plane ad veritatem ſacrorum librorum perſuadet auctoritas, qua cur Boſſuetius adverſus Simonium pugnare noluerit, neſcio. Nam hoc illis præclarum dedit pietatis teſtimonium Matthæus. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera aurum; thus, & myrrham*. Cap. 2. v. 11. Cujus teſtimonii vis ut bono in lumine collocetur, quid contra adverſarii dixerint, ſtudioſe antea enarrandum eſt. Docet Simonius, verbum *adorare* anceps eſſe, & ambiguum, generatimque in divinis litteris non aliud ſibi velle, quam ſe ad terram abjicere, vel ſubmiſſione corporis reverentiam adverſus aliquem adhibere. Equidem non negaverim, immo Simonio obſecuturus addiderim, *adorare* nihil proprie aliud eſſe, Latinis potiſſimum, quam manum ad os referre, & oſculari in venerationis teſtimonium. Hinc de Cæcilio Minucius in Octavio: *ſimulacro Serapidis viſo, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, ma-*

(a) Lib. 29. de Theol. Diſcipl. cap. 4. num. 3.

*manum ori admovens oſculum labiis preſſit*, & Jobus de ſe: *ſi vidi Solem, cum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & oſculatus ſum manum meam* (*a*), ideſt ſi tantum ſcelus concepi, ut coluerim ſidera manum religionis gratia exoſculans. Quamobrem Hebræis in familiari ſermone perinde erat dicere, oſculari, atque adorare, ut ex ſacris illorum codicibus diſcimus tum Pſalm. 2. *oſculamini Filium, ne quando iraſcatur, & ne pereatis de via juſta*, tum Gen. cap. 41. v. 40., ubi Pharao ad Joſephum: *cunctus populus oſculabitur manum ad tui oris imperium*, nempe mandata tua impigre faciet juxta', ac Regis mandata. Nec deſunt locupletiſſima, ut Græcos prætercam, veterum Latinorum exempla, apud M. Tullium nominatim, cujus illud in Verrem: *in precibus, & gratulationibus non ſolum id venerari, verum etiam oſculari ſolent*. De reliquo qui adorarent, manus ſæpenumero ori admoventes capita ſubmittebant, auctore in Ruffinum Hieronymo, vel corpus, præter manus, modis varie multiplicibus conformabant, quos ſigillatim vir omni virtutum genere præditus Bonada noſter exequitur in eleganti Opere inſcripto: *Carmina ex antiquis lapidibus illuſtrata* (*b*). Res igitur clara eſt, & multis teſtibus, auctoritatibuſque convicta, in verbo *adoro* ambiguïtatem ineſſe maximam, idque tam ad profanum, & civilem honorem, quam ad ſacrum, divinæque majeſtatis proprium deſignandum transferri: quare Simonii judicio definiri certo non poterit, ecquod tandem Matthæus venerationis, aut cultus genus ſuperiori loco ſignificet.

Longius Grotius, & Baſnagius abeunt. Erat apud Orientis populos, inquiunt, in more poſitum, ut Reges ſuos, viroſque principes adorarent, nimirum dejecto in terram corpore revererentur, & colerent. *Habet enim*, auctore Tullio (*c*) *venerationem juſtam quidquid excellit*. Cujus obſervantiæ multa ex omni antiquitate colligere exempla eſt. Scribit Plutarchus, Themiſtoclem a Græcia profugum, cum ad Xerxem, vel Artaxerxem ejus filium ſe contuliſſet, monitum fuiſſe ab Artabano tribuno militum, ut ſi Regem adire vellet, hunc prius ex veteri Perſarum conſuetudine adoraret. *Nam vos*, inquiebat, *libertatis præ cæteris, & æqualitatis obſervantes eſſe ferunt. Apud nos autem cum plurimæ ſunt, ac præclaræ leges, tum hæc præſtantiſſima*: τὸ τιμᾶν Βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεῦ τὰ πάντα σώζοντος, *honorare*

 *Re-*

(*a*) Cap. 31. v. 27. 28. (*b*) Tom. 1. Diſſert. 1. §. 29.
(*c*) Lib. 1. de Nat. Deor. cap. 17.

*Regem*, *&* *imaginem adorare omnia ſervantis Dei* 3. Hinc Alexander Magnus, qui Dario jure victoriæ in regno ſucceſſerat, *voluit*, *more Perſarum Macedonas venerabundos ipſum ſalutare proſternentes humi corpora* (*a*). Eodem quoque officii genere Theogenes Mathematicus Auguſtum Apolloniæ degentem honoravit, teſte Svetonio. *Genitura* enim ab illo *vix*, *&* *cunctanter edita*, *exilivit Theogenes*, *adoravitque eum* (*b*). Quin Plinius de Elephantis data opera, ut mulæ in præſentia, ad id inſtitutis: *Regem adorant*, *genua ſubmittunt* (*c*). Eam vero, de qua agimus, conſuetudinem in Syria etiam, ac Palæſtina communiter viguiſſe, teſtis eſt locuples Joſephus Hebræus, cum is, ut animadverſum a Grotio, de Davide ad Saulem accedente prodiderit litteris: *adorat eum in faciem procidens*, *ut moris erat*. Quod tamen caput eſt omnium, maximeque rem continet, ſimilia venerationis exempla paſſim in divinis libris reperies, quæ, ne mihi magnopere videar a Grotii, atque Baſnagii argumento metuere, ego ſciens, prudensque, ipſis tacentibus, memorabo. Gen. cap. 37. v. 10. cum adoleſcens Joſephus animo, quo erat, aperto, ac ſimplici habitum a ſe ſomnium Patri, ac fratribus enarraſſet, *num ego*, reſpondit ille, *&* *mater tua*, *&* *fratres tui adorabimus te ſuper terram*? Ejuſmodi autem pietatis, ſummæque in illum obſervantiæ ſignificationem Joſepho fratres dederunt Gen. cap. 43. v. 26. poſtquam Joſephus ipſe, Cœlitibus bene juvantibus, ad primarias in Ægypto præfecturas aſcenderat: *obtuleruntque ei munera*,

(*a*) Curt. lib. 8. (*b*) In Octav. Aug. cap. 94. (*c*) Lib. 8. cap. 1.

3 In Themiſt. Addidit paullo poſt Artabanus, Βασιλεῖ γὰρ ὁ πάτριον ἀνδρὸς ἀκροᾶσθαι μὴ προσκυνήσαντος, *Regi uſitatum non eſſe cuiquam aures præbere*, *a quo prius non ſit adoratus*. Ex his Plutarchi teſtimoniis facile prudens Lector intelliget, liberos populos, ac præſertim Græcos ab humiliori illo inclinandi, vel proſternendi in terram corporis officio maxime abhorruiſſe. Id, quod exemplo ſuo luculenter oſtendunt apud Herodotum (lib. 7. pag. 485) Lacedæmoniorum legati Regem Xerxem adeuntes. Nam *cum ſatellites eos juberent*, *&* *cogerent*, *procumbentes Regem adorare*, *negaverunt*, *ſe*, *vel ſi in caput protruderentur*, *id eſſe facturos*. *Non enim in more ſibi eſſe hominem adorare*. Ita quoque ſe geſſit Conon Athenienſis, ut in ejus vita Cornelius Nepos teſtatur. Etenim Artaxerſem, Memnonem maluit per *litteras alloqui*, *quam coram venerari*, *quod* προσκυνεῖν *illi vocant*, veritus, ait, *ne civitati meæ ſit opprobrio*, *ſi cum ex ea ſim profectus*, *quæ cæteris gentibus imperare conſueverit*, *potius barbarorum*, *quam illius more fungar*. Hæc cum ita ſe habeant, mirationem non facit, ſi Ariſtoteles in priori Rhetor. lib. cap. 5. de honore differens, poſtquam ejus partes, ſacrificia, laudationes, & id genus alia numeraſſet, adorationes adjungat, veluti ritus, ac cæremonias a barbaris gentibus uſurpatas: καὶ τὰ βαρβαρικά, inquit, οἷον προσκυνήσεις. Ubi profecto vox προσκύνησις, *adoratio* illud officii munus ſignificet neceſſe eſt, quo quis humi ſtratus alium demiſſius veneratur.

*nera*, *tenentes in manibus ſuis*, *& adoraverunt proni in terram*; poſt quæ humaniſſime interrogati, an bona Pater valetudine uteretur, *iterum incurvati adoraverunt eum*. Similiter libro Regum tertio cap. 1. v. 23. hæc de Nathane divinus ſcriptor: *cumque introiſſet in conſpectu Regis*, *& adoraſſet eum pronus in terram*: paulloque poſt de Bethſabee Regina: *ſubmiſſoque Bethſabee in terram vultu adoravit Regem*. Denique, ut finis ſit, cum Perſarum Rex Aſſuerus ad ampliſſimos honorum gradus Amanum ſuperbiſſimi ingenii hominem extuliſſet, *cuncti ſervi Regis*, *qui in foribus Palatii verſabantur*, *flectebant genua*, *& adorabant eum*, Eſth. cap. 3. v. 2. Plura afferre poſſem, ſed nihil neceſſe eſt. Hinc enim abunde conſtat, ex Matthæi verbis divinitatem Chriſti demonſtrari non poſſe. Magi quippe, etſi proſtrati jacuerint, pro more tamen, & conſuetudine apud ſuos recepta, eundem Chriſto honorem, & cultum, quem Orientis populi ſuis Regibus, detulerunt, nec aliud in puerulo præter regiam dignitatem ſpectarunt; ſummum autem eſse Deum plane neſciebant.

6. Sed boni iſti viri Simonius, Grotius, Baſnagius, etſi in cœlo imperitæ multitudinis opinione ſe ſtatim futuros putaverint, tamen in magno errore verſantur, parumque, ad hanc quæſtionem quod attinet, in ſacrarum litterarum intelligentia profecerunt. Ultro illis aſſentior, verbum hoc *adoro* ambiguitate ſuapte origine laborare, idemque a profanis, diviniſque Scriptoribus ſæpenumero ad obſervantiam illam deſignandam transferri, qua vel Reges ſuos, vel honore, ac dignitate antecedentes viros Orientis præſertim populi reverentur; ea tamen ambiguitas oppido in controverſum Matthæi locum non cadit. Miramini? Atqui tale illud eſt, ut, niſi mens læva fuiſſet, Criticos homines pudere potuerit litem nobis ſuper duabus voculis tam pertinacem intendere. I. In novo enim, ut loquimur, Teſtamento nullus, quod ſciam, occurrit locus, ubi hæc, vel ejus ſimillima græcorum verborum formula *πεσὼν προσκυνεῖ*, *procidens adorat*, aliud adorationis genus, quam ſacrum, Deoque cumprimis dignum ſignificet. Hoc ſenſu eam formulam uſurpavit Matthæus tum cap. 4. v. 9. ubi nequam Geniorum Princeps divinos honores ſuperbe appetebat: *hæc omnia tibi dabo*, *ſi cadens adoraveris me*; tum cap. 26. v. 39. de Chriſto Patris præſidium implorante commemorans: *& progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam orans*. Hoc etiam uſurpavit Lucas nunc Petrum referens Chriſto ad pedes abjectum, *procidit ad genua Jeſu dicens &c.* *προσέπεσε τοῖς γόνασι τοῦ Ἰησοῦ λέγων &c.* cap. 5. v. 8., nunc hominem exhibens lepra confectum recu-

recuperandæ cupidum ſanitatis, *procidens in faciem rogavit eum*, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον ἐδεήθη αὐτοῦ, v. 12. Hoc idem Lucas non ſolum ubi cap. 17. v. 16. de Samaritano leproſo loquitur, qui valetudini reſtitutus *dedit gloriam Deo*, ne ingratus in Medicum tam beneficum videretur, *cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens*, ſed etiam capite Act. 10. v. 25. ubi de Cornelio differit, qui ſe humi ſuppliciter ad Petri pedes proſtraverat, πεσὼν ἐπὶ τοὺς πόδας προσεκύνησεν, *procidens ad pedes ejus adoravit*. Quem ſtatim Petrus divinos a ſe honores, ut par erat, rejiciens merito attolli juſſit, hac allata ratione, *ſurge*, *& ego ipſe homo ſum*, ratione porro eadem, ac ſimili, qua cap. 14. v. 14. Paulus, & Barnabas vix Lyſtrenſes deterrere potuerunt, ne ſibi coronatos tauros immolarent, divinoſque cultus, tanquam Numinibus, adhiberent. *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus ſimiles vobis homines*, cultus autem ejuſmodi, quo nos venerandos putatis, uni præpotenti Deo, qui cælum, ac terram condidit, tribuendus.

*Nec Dea ſum, dixit, nec ſacri thuris honore*
*Humanum dignare caput, ne neſcius erres* (a).

Ad hæc in eandem, qua Matthæus, & Lucas rationem loquitur Paulus cap. 1. prioris epiſtolæ, quæ eſt ad Corinthios v. 25. *cadens in faciem adorabis Deum*, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσεις τῷ Θεῷ. Gemina ſcripſerat accommodate ad rem noſtram deliciæ Chriſti Joannes Apocal. cap. 19. v. 4. de ſenioribus ante divinum ſolium in genua provolutis, paucisque interiectis, de ſe coram Angelo humi ſtrato, ἔπεσον ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν αὐτοῦ προσκυνῆσαι αὐτῷ *cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum*. *Talis enim apparuerat Angelus*, interprete docto in primis, & nobili Auguſtino, *ut pro Deo poſſet adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator* [4]. Reliqua prætereo conſulto, veritus, ne hæc ipſa nimium multa eſſe videan-

(a) Sybil. apud Ovid. Metam. lib. 14.

4 Lib. 7. quæſt. in Gen. quæſt. 61. Duobus Angelus argumentis cultum ſibi ab Joanne adhibendum repudiat. Primum, quod ipſius σύνδουλος, ideſt *conſerſus* ſit, quaſi dicat: quicumque Deo famulatur, ei cultus divinus deferri non debet; ſed ego juxta, ac tu, etſi excelſiori loco poſitus ſim, Deo famulor, non debes igitur divinum mihi cultum deferre. Equidem Hugo Grotius (in explicat. Decal. ad præcept. 2.) docuit, cultum, quem Angelus reſpuebat, civilem fuiſſe, eam vero ob cauſſam repudiatum ab Angelo, quod ambo Chriſti jam Angelorum capitis miniſtri eſſent, ac pares dignitate; non ſoleant autem collegæ his inter ſe officiis colere, ac venerari. Sed labitur Grotius, cum ex verbis Angeli liquido pateat, id eum vetaſſe, quod factu nefas erat, nedum indecorum. Diſtinguere enim oportuit inter externum Joannis officium; quo ſe Angelo ad pedes abjecerat

videantur. Itaque ſic conſtituere poſſumus, delecta a Matthæo verba ad exprimendum Magorum officium, *& procidentes adoraverunt eum*, abundanter oſtendere, hos noſtros divinum cultum Jeſui Chriſto impendiſſe, eundemque idcirco divinitatem illis ſuam certis documentis pateſeciſſe. Quandoquidem in ſacris novi fœderis tabulis verba illa, aut eorum ſimillima ad ſignificandum honorem, pietatiſque teſtimonium, quod uni Deo debetur, conſtantiſſime uſurpantur.

II. Præterea quamquam verbum *adoro* non eandem ſemper vim habeat, ſed varia, commutabilis, multiplex ſubjecta verbo ſit

rat, & cultum quem erat eidem provolutus in genua præſtiturus: *cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum*. Quo ex loco planum eſt, ac perſpicuum, finem in primis reprehendi in Joanne, ob quem ejus officium, ac pietas culpa non vacaſſet. Neque enim erat illicitum ad Angeli pedes ſe ſe proſternere, cum beatæ illæ mentes, etſi repugnent hæretici, dignæ oppido ſint, quæ ab hominibus pie, religioſeque honorentur; ſed idcirco monetur, reprehenditurque Joannes, quod eo conſilio ſe ſe in terram proſtraſſet, ut divinos honores Angelo adhiberet. Atque hinc Angelus non tam reprehendit, quod fecerat, quam prohibet, ne quod erat facturus, Apoſtolus faciat: ὅρα μὴ, *vide ne feceris*. Nego autem, Angelum cultum illum eo tantum nomine abs ſe rejeciſſe, quod Joannes perſonam, munuſque Apoſtoli tueretur. Ex alio enim Apocalypſis loco hujus ſimillimo perſpicue liquet, interdictum Angeli ad omnes univerſim homines pertinere. Sic quippe cap. 22. v. 9. &c. Joannes ipſe commemorat, *cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat. Et dixit mihi, vide ne feceris: conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum prophetarum*, καὶ τῶν τηρούντων τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου, *& eorum, qui ſervant verba prophetiæ libri hujus*. Τῷ Θεῷ προσκύνησον, *Deum adora*. Quibus verbis non ſolum prophetæ, ſed reliqui etiam religioſi, ſanctique moribus homines, qui Deo obtemperant, deſignantur, quemadmodum ipſe Crellius Grotio amiciſſimus explicavit, Eth. Chriſt. lib.3. cap. 6. At Grotius græcorum codicum poſthabita fide, immo ratione etiam reclamante, particulam, *&*, in extrema orationis parte audacter ſuſtulit, genio ut ſuo indulgeret. Primum igitur Angeli argumentum, quod ſcilicet *conſervus* eſſet Joannis, evidenter, ut opinor, oſtendit, cultum Dei peculiarem, & proprium fuiſſe ſibi Apoſtolum delaturum. Alterum petitur ex verbis illis, τῷ Θεῷ προσκύνησον, *Deum adora*, quæ ex divino præcepto ſolius Dei latriæ cultu adorandi deſumpta ſunt, atque hanc ſubjectam habent ſententiam: cultus ejuſmodi, quo me veneraturus es, uni Deo adhiberi debet; vide igitur, ne in famulum transferas. Et ſane niſi verba hunc in modum accipias, nemo non perſpicit, in ratione, quam ille protulit, nihil ponderis ineſſe poſſe. Manet ergo, ratumque eſt, in Joannis teſtimonio, quod Grotius exagitavit, ſupremum honoris genus, quod ſummo Deo tribuimus, deſignati. Atque hinc Socinianos illos refelles, qui Chriſto humani generis Servatori divinos cultus adhibendos eſſe confirmant, ſempiternam tamen originem, atque divinitatem parum ſibi conſtantes eripiunt. Ut merito Leibnitius in epiſt. 213. ad Crozium (Tom. 1. epiſt. ad diverſ. edit. Lipſ. 1734.) ſcripſerit, prudentius hac in parte Mahummedis, quam Socini aſſeclas facere. Nihil enim cauſæ eſt, cur rem creatam cultu, qui Deum deceat, venerandam tibi, & colendam exiſtimes.

ſit notio, conſentiente tamen Simonio (a), cùm ad Deum transfertur, adorationem vere, proprieque dictam ſignificat; conſtat autem, teſtimonium Matthæi referri ad Chriſtum, atque hunc Dei eſſe Filium, atque natura Deum; accipiatur igitur, neceſſe eſt, de cultu illo, non quo interdum homo hominem veneratur, ſed quem Optimo, Maximoque Deo religionis cauſſa tribuimus. Argumentationem hanc nobiliſſimo, & ſobrio tamen Critico Honorato a S. Maria, quem honoris gratia nomino, acceptam refero, videturque primo adſpectu firmiſſima; ſed ne diſtinctionum illa calliditate, quæ ſibi familiariſſima, elabatur Simonius, novis a me præſidiis diligentius munienda eſt [5]. Principio quis neſciat, in novi Teſtamenti libris tertio quoque fere verſu hæc verba legentibus objici; *adorent eum*, *adoraverunt eum*, *adoravit eum*, & id generis plurima, neque tamen ad Chriſtum veluti Regem, vel hominem, ſed tanquam Deum referri? Sed hæc omittamus, atque ad alia ſe ſe convertat oratio, nominatimque ad celeberrimum Davidis oraculum, quod Pſal. 71. in hæc verba editum legimus. *Coram illo procident Æthiopes ..... Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei*. Noſtis, tacente me, loqui hic Auctorem de exteris gentibus, barbararumque nationum Regibus ad Chriſti cultum, religionemque adjungendis, ac verba *procident*, *adorabunt eum*, de Chriſto tanquam Deo eſſe accipienda. Quanto igitur magis exagitatum Matthæi locum his conjunctim verbis, *procidentes adoraverunt eum*, expoſitum de Chriſto ut Deo intelligamus neceſſe eſt? Loca enim ſimilia, & in quibus præſertim res eadem agitur, niſi ſi quid aperte obſtet, & impediat, in eandem debemus interpretari ſententiam. Adde, quod etſi regiam

(a) In cap. 2. Matth. & in Diſſert. Crit. paſſim.

5 Etſi enim concedet Simonius, Matthęi verba ad Chriſtum referri, eumque Dei eſſe ab infinito tempore Filium, reſpondere tamen poterit, incertum eſſe, atque in controverſia poſitum, an id Magi didicerint; quę tamen cognitio neceſſaria eſt, ut illorum cultus ad divinum aſſurgat. Operam igitur, atque oleum perdidit Honoratus, qui tam multis in eo argumento verſando ingenii vires exercuit. Loc. cit. art. 5. tot. §. 2. Huic ſimile eſt alterum, quod infra §. 4. num. 1. in hanc rationem propoſuit, & in quo maximum aliunde, atque firmiſſimum ſuę cauſſę pręſidium collocavit. *Scripturæ divinæ*, inquit, *fideſque nos docent*, *Regem*, *et Meſſiam per Prophetas Judæis promiſſum ..... verum Filium Dei fuiſſe; atqui perhibet fides, eum, quem in Præſepi Magi adorarunt, quique adorationis eorum terminus fuit, eundem fuiſſe, ac Regem, et Meſſiam per prophetas Judæis promiſſum .... conſequens igitur eſt, infantem, coram quo Magi prociderunt, et in quem adoratio illorum ferebatur, verum fuiſſe Dei Filium*. Rectiſſime concluſum eſt. Sed quis non videat, argumento ejuſmodi Simonium non confutari, nec premi. Neque enim noſter de Filii divinitate altercatur.

giam Magis dignitatem abjudices, diffiteri tamen non potes, Magos gentium eſſe primitias, adeoque oraculum ex parte ſaltem in illis exitum habuiſſe. Quare cum quos David prænunciat, adoraturos Chriſtum, ii ſine dubio tanquam Deum eſſent adoraturi, relinquitur, multo verius Magos primitias gentium eodem ritu; ac ſtudio Chriſtum puerulum adoraſſe. Atque argumentum ad obtinendæ cauſſæ ſpem plus adhuc habiturum eſt auctoritatis, & ponderis, ſi Magos, duce præſertim Baronio, regia dignitate floruiſſe exiſtimemus; id quod, etſi plures repugnent Theologi, ad veri tamen ſimilitudinem proxime accedere arbitror. Sic enim divino ſpiritu concitus, ac plenis magnificentiæ verbis vaticinatus eſt Iſaias: *ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui* (*a*). In hoc, & ſuperiori Davidis oraculo, ut appoſite pererudito Berti obſervatum (*b*), tria prædicuntur, lumen, ac ſplendor ortus, munera afferenda, regia dignitas, ac poteſtas. Priori oraculo complementum ſtella attulit, quæ in Oriente a Magis conſpecta, alteri ipſi Magi ſua divino puerulo munera liberaliter offerentes; cur & tertium completum non fuiſſe cenſebimus, nec regium Magis adjudicabimus principatum? Tunc autem fateri ob hanc etiam cauſſam cogetur Simonius, beatiſſimos illos Reges Chriſtum veluti Deum veneratos fuiſſe, neque in alium ſenſum Matthæi teſtimonium poſſe a ſe commode detorqueri. Certe quin Davidis oraculum in Magorum ad Chriſtum adventu exitum ſatis felicem habuerit, adduci in quæſtionem non poſſe, diſerte, atque id pluribus docuit religionis defenſor, propugnatorque plane magnanimus Eckius (*c*). Sed neſcio, quo me animi impetus, & nimius differendi ardor abripuit. Nam imprudens controverſiam inii de Magorum dignitate, & ego non conſuevi datam ſemel fidem reſcindere. Mihi ergo benevolus Lector ignoſcet, quando, ut quæſtionem illam ingrederer, non voluntas fecit, ſed ratio diſputationis vel invitum coegit.

III. Nos autem, ut cœpimus, perſequamur, & poſtquam ex ipſis Matthæi verbis adverſariorum errorem diligenter refellimus, nunc ex adjunctis, vel ex ſacra Magorum hiſtoria cauſſam hanc tranſigamus. Duo Simonius, Grotius, atque Baſnagius, anticipata opinione ſepoſita, animadvertant, rogo, ſtellam, quæ viam noſtris ad Chriſti incunabula aperuit, & quo tandem in ſtatu venerandum a ſe Regem repererint. Deus igitur prodigio ſane nobiliſſimo Magos accivit, jubens, ut nova in Cœlo ſtella magiſtra, & dux itineris oriretur. Eſt ne credibile, tantum a Deo

C alla-

(*a*) Cap. 60. v. 3. (*b*) Loc. cit. num. 2. (*c*) Homil. 2. de Epiph.

allatum fuiſſe prodigium eo demum conſilio, uti Magi civilem nescioquam venerationem infanti Filio exhiberent, eidemque hujus rei gratia ex tam diſſitis regionibus in viam ſe darent? Sciant adverſarii, forte ſi neſciunt, cum miraculis utitur, rationes habere Deum graviſſimas, atque ex miraculorum præſtantia divinorum conſiliorum magnitudinem, ut ita dicam, & excellentiam eſſe æſtimandam. At quis non ſtatim intelligat, divinæ ſapientiæ longe magis conſentaneum fore noſtros illos idcirco lucidiſſimo ſidere ab ipſo uſque Oriente accerſiviſſe, ut divinos divino Filio debitos honores tribuerent, eundemque veluti Deum ex animo revererentur, & colerent? Alioquin cui bono, amabo vos, tantus miraculorum apparatus, vel ſaltem tam illuſtre, tam ſtabile, tam diu continuatum prodigium, ſi unum Judæorum Regem, nihil præterea aliud, erant Magi agnituri? Profecto ſacrorum librorum teſtimonia paſſim loquuntur, Chriſtum jam natu grandem eo in primis conſilio tam ſplendida edidiſſe prodigia, ut ſuæ Judæis divinitatis, ac numinis cognitionem ingigneret. Qua de cauſſa Lazarum, delicias, & amores ſuos, mori conſulto voluit, etſi commodum de ægra illius valetudine admonitus, ut inde revocandi ad vitam hominis occaſionem arriperet, & ampliſſima in Deum gloria redundaret (a). Peropportune eam in rem Auguſtinus. *Ipſa mors non erat ad mortem, ſed potius ad miraculum, quo facto crederent homines in Chriſtum, & vitarent veram mortem.*

Confecto tandem itinere, Magi quæſitum abs ſe ſe Regem reperiunt. Quo tandem in loco, quo ſtatu? Obſcuro, humilique in loco reperiunt, ad extremam redactum inopiam, rudibus veſtibus ſquallentem potius, quam amictum, ſervis, cohortibus, rebus omnibus deſtitutum, talem, ut verbo dicam, in quo ne tenue quidem regiæ majeſtatis indicium. Nihil tamen animo commoti ad illius ſe pedes demiſiſſime abjiciunt, nec venerantur ſolum, ſed ampliſſimis etiam ornant muneribus. Quis autem ſibi inducat in animum, ad hæc ſe Magos officia tam alacriter demiſſuros fuiſſe, niſi interiori quodam lumine illuſtrati in ea pueruli ſpecie, qui tam afflicta eſſet conditione, ſummum latere Deum, unigenamque Dei Filium intellexiſſent, dignum idcirco, quem ſtudioſiſſime colerent, cujus opem, patrociniumque implorarent, erga quem & prece, & obſecratione humili, ac ſupplici uterentur? Apage ergo conjecturas. Apage ineptias. At perſuaſi erant, inquis, de regali pueri dignitate. Hic vero tu mihi facis delicias. Nam quid, per fortunas, attinebat ad Magos, atque hos, niſi Re-

(a) Joan. cap. 11. v. 4.

Reges, viros certe quidem ampliſſimos Judæorum Regi ſe ſe ad pedes provolvere, & de quo nihil eſſent Judæi ſolliciti, hunc tanto dolore capitis quærere, canino ritu adorare, puerulum præſertim, a quo nihil ſibi, rebuſque ſuis metuere potuiſſent, quocum nullum illis negotium? Deum, mihi crede, Deum, non ſolum Judæorum Regem ſpectarunt. Numquid enim de poteſtate mentis exiſti? Nam ſi Græcis res erat odioſiſſima ſic ſeipſos abjicere, atque proſternere, ut ne adduci quidem poſſent, cum Reges imperii gloria potentiſſimos convenirent (Not. 3.), quanto, quanto æquius Magi præſtare puero id officii detrectaſſent, puero, inquam, deſpicatiſſimo, eidemque non Regi ſuo, immo qui ab omnibus imparatus eſſet fortunæ præſidiis, tantum abeſt, ut regio cultu, atque apparatu niteſceret? Nonne ſtatim ac Magis tam miſerabilis rerum facies ante oculos obverſata eſt, ſe inſigniter ludificatos putaſſent, quacumque tandem via natum eſſe Judæorum Regem didicerint, niſi ſi vidiſſent animo, quod non cernerent oculis? Divine igitur Joannes Chryſoſtomus hom. 8. in Matthæum. *Quid illud eſt, quod Magis puerum adorare perſuaſerit? Nam neque ipſa Virgo erat nobilis, nec domus, in qua habitabat, illuſtris, nec quidquam ex his omnibus, quæ videbantur, ejuſmodi erat, quod Magis admirationem faceret, eoſque ad puerum alliceret adorandum. At vero illi non modo adorant, ſed etiam, apertis theſauris ſuis, offerunt munera, & munera certe Deo, quam homine digniora. Thus ſiquidem, & myrrha ipſi potiſſimum congruebant. Quidnam igitur illud eſt, quod eis, domo, & patria relicta, tanta itineris ſpatia tranſire perſuaſerit? Quod procul dubio fecit & ſtella, quam viderant, & a Deo donata lux, quæ illorum mentibus quaſi aliud quoddam ſidus effulſerat, eoſque paullatim ad perfectiorem ſcientiam provehebat. Cum enim eſſent cuncta alia vilia, niſi iſtud eorum animos incitaſſet, nunquam profecto tantum illi honoris parvulo detuliſſent. Idcirco nihil ibi de ſenſibilibus iſtis grande conſpicitur, ſed anguſtum tugurium, ac vile præſepium, ac inops Mater, ut melius nuda Magorum philoſophia clareſceret; & ut diſcas, quia non tanquam homini tantum, ſed etiam tanquam Deo auctori omnium ſupplicarint bonorum.* His graviſſimis argumentis rationes a me productas aureum fundens orationis flumen Chryſoſtomus roboravit. Quamobrem ſive ipſa in ſe Matthæi verba conſideres, ſive cum aliis divinorum voluminum teſtimoniis conferas, ſive denique rei adjuncta, vel totam Magorum hiſtoriam attente recogites, vides mehercule, piiſſimos Magos religioſo ritu, & cultu pue-

 rulum

Digitized by Google

rulum Chriſtum veneratos fuiſse, neque adeo Deum eſse Optimum Maximum ignoraſse. Eo igitur ſignificatio verbi, quod in controverſia poſitum, trahenda eſt.

7. Poſt hæc autem, quos in græcis litteris progreſsus fecerimus, nihil attinet dicere, nec, ſi feciſsemus, diceremus tamen. Nam cum omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenii, & doctrinæ multo moleſtiſſima, decetque homunciones non ample, nec elate de ſe, ſed humiliter, demiſseque ſentire. Divina iſthæc eſt Chriſti optimi lex, cui utinam, ut ſæpe multis in ore eſt, ſic diligenter ſervirent! Verum,quod olim de Athenienſibus Cicero (a), nos ſæpiſſime quæ recta ſunt, præclare videmus, facere nolumus. Tantum a verbis facta diſtant. Hoc unum igitur ſcio, me neque Horatianum illud præceptum:

............. *Vos exemplaria græca*
*Nocturna verſate manu, verſate diurna* (b),

diſſolute negligere, & ex ipſa græcorum verborum formula, quam Matthæus delegit, planiſſime confirmaſſe, proſtratos in terram Magos Chriſto honores Deo debitos detuliſſe. Sed quorſum hæc? Ut intelligatis nimirum, eſſe a me Simonii occupatum perfugium, qui non raro, nec ſatis modeſte contendit, neminem unum de ſacrarum litterarum locis rite ferre poſſe judicium, niſi linguas exoticas egregie calleat. Quamquam, etſi linguarum ſcientiam jure, ac merito in Interpretibus commendemus, certum eſt tamen, quod recte ait Boſſuetius (c), religionis dogmata ab exquiſita quadam linguarum notitia non pendere, nec eadem loquacibus permittenda eſſe Grammaticis, ſed ad conſtantem Eccleſiæ Traditionem, purioreſque Theologiæ fontes, tanquam ad judices, referenda. Sed ego ut Simonio ſingularem exoticarum linguarum cognitionem, & peracre ingenium libenter conceſſerim, ſic rerum divinarum ſcientiam, quam Theologiam dicimus, magnopere non inviderim.

8. Samuelem vero Baſnagium eſt hic, cur aliis quoque nominibus refellendum exiſtimem. Satis enim ſecum hominis non cohæret oratio, qui Chriſtum a Magis tanquam Regem cœleſtem ab initio agnitum dixerit, nec eorum tamen venerationem, & cultum ad divinitatem aſſurrexiſſe conſentiat. Etenim cœleſtem Regem non alium poſſis cogitatione informare, niſi qui in cœlum imperium habeat, Deum, nulluſque ex hominum genere, quibuſcumque tandem divinis muneribus affluat, cœleſtis Rex habe-

ri,

(a) De Senect. cap. 18. (b) In Art. Poet. (c) Docum. I. ut ſupra pag. 537.

ri, dicique poteſt. In ſacris vero libris Deo id nominis ſæpiſſime attributum agnoſcimus. Quocirca ſi Magi de Baſnagii ſententia vagientem in cunis Chriſtum veluti cœleſtem Regem coluerunt, conſequens illud eſt, ut etiam tanquam Deum caſte, integreque coluerint.

9. Sed hactenus ſacrarum litterarum auctoritate pugnavimus; nunc ex doctrina, quam Majores nobis noſtri per manus tradiderunt, argumentationem inibimus. Nam cum illi uno ore, ac voce in hanc conſpirent ſententiam, a Magis divinos Chriſto honores religioſiſſime fuiſſe habitos, mirus eorundem inter ſe ab omni antiquitate conſenſus graviſſima nobis ad coarguendos adverſarios adjumenta, atque præſidia ſubminiſtrat. Quoniam vero Simonius ductum hinc argumentum varia ratione, & via conatur eludere, Traditionemque hanc firmam, certam, conſtantem ſe nuſpiam deprehendere paſſim pronunciat, neceſſe eſt, ut rem quaſi oculis accuratione ſumma ſubjiciam, quo demum lumen illi clariſſimum in tantis erroris, & inſcientiæ tenebris præferatur (Abeſt verbis injuria, ita enim de ſe noſter hic confitetur). Video igitur, me paullo longiorem futurum, ſed orationis, ut ſpero, longitudinem ipſa rerum varietas, & delectus, ipſa argumenti nobilitas ſuis diſtincta ſententiarum luminibus cum fœnore compenſabit.

I. Ordiar autem a Patribus, qui ſecundo ſæculo floruerunt, Juſtino, atque Irenæo. Nam Juſtinus in Dialogo cum Tryphone Judæo Epheſi habito *conceptis verbis affirmat*, ut ſcribit Honoratus a S. Maria, *Magos ad præſepe accedentes e tenebris Idololatriæ in veri Dei lucem vocatos fuiſſe*. „ Ad veri Dei cognitionem pervenerunt „. Verum candide fatendum eſt, nihil eruditum illum Scriptorem afferre, cum hæc verba, quorum alioquin magna eſſet auctoritas, nuſquam in Juſtino compareant. Sic ergo egregius Philoſophus in loco, ad quem virum doctiſſimum digitum ſuſpicor intendiſſe. *Nam & quod dicit Iſaias, accipiet virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ, ſignificabat nefarii Dæmonis, qui Damaſci habitabat, poteſtatem a Chriſto, ſtatim atque natus eſſet, victum iri; quod quidem factum eſſe demonſtratur. Magi enim, qui ut ſpolia rapti fuerant ad malas quaſque actiones, ad quas eos ille Dæmon impellebat*, ἐλθόντες, καὶ προσκυνήσαντες τῷ Χριστῷ, φαίνονται ἀποστάντες τῆς σκυλευσάσης αὐτοὺς δυνάμεως ἐκείνης, *ubi Chriſtum adoratum venerunt, defecere, ut manifeſtum eſt, ab ea, quæ illos ut ſpolia rapuerat, poteſtate*. N.78. edit. Maurin. Cur autem, Juſtino judice, Magi a nequam Genio defecerunt,

niſi

niſi quod in Chriſtum crediderint, eumque potentiſſimum eſſe Deum perviderint [6]? Idem Juſtinus num. 88. diſſolvens argumentum Tryphonis, qui proxime ſuperiori articulo objecerat, immerito illum ſempiternum haberi Deum, quem Iſaias cœleſtibus donis cumulatum iri prædixerat, in hæc verba progreditur: *non quod virtutis eſſet indigus prædictum eſt, venturas in eum virtutes ab Iſaia enumeratas, ſed quod ultra futuræ non eſſent. Atque illud etiam vobis teſtimonio ſit, quod vobis dixi, ab Arabiæ Magis factum, qui cum, ſtatim ac puer natus eſſet, veniſſent, adoraverunt eum. Nam, ut in lucem editus eſt, ſuam virtutem habuit.* Quo loco cum ex cultu a Magis eidem adhibito, cœleſtibus Chriſtum non eguiſſe muneribus, ſed ab ineunte ætate naturalem ei virtutem fuiſſe inſitam Juſtinus oſtenderit, id ſibi profecto vult, Arabes Magos ipſa Chriſti virtute, divina nempe natura concitatos fuiſſe, ut eundem venerarentur, & colerent. Itaque & perſuaſum Juſtino fuit, Magos in divinitatem pueri mentis acie penetraſſe, & verbo *προσκυνέω*, *adoro*, quo utitur, adoratio-

6 Convenit cum Juſtino Tertulliano cap. 9. libri adverſus Judæos dicenti: *Spolia autem Samariæ, ipſos Magos, qui cum illum cognoviſſent, & muneribus honoraſſent quaſi Dominum, & Regem ſub teſtimonio indicis, & ducis ſtellæ ſpolia ſunt facti Samariæ, ideſt Idololatriæ, credentes videlicet in Chriſtum. Idololatriam enim Samariæ nomine notavit, ut ignominioſæ ob Idololatriam, qua deſciverat tunc a Deo ſub Rege Jeroboam.* Hoc Tertullianus ab Juſtini differt ſententia, quod Magos ſpolia Samariæ appellatos exiſtimet, quia Chriſti fuerunt præda, non quia Diaboli, ut Juſtinus. Similia autem tradidit lib. 3. adv. Marcion. cap. 13., qui locus adeundus.

Ad ſecundum ſæculum referendum etiam videretur illuſtre Theophili teſtimonium, qui ſextus a Petro Antiochenam Eccleſiam gubernavit. Initio enim lib. 1. Comment. in Evang., qui in Patrum Bibliotheca latine extant, ſic ad rem noſtram accommodatiſſime: *obtulerunt Magi ei munera, aurum ut Regi, thus ut Deo, myrrham ut homini ad ſepulturam.* Sed conſtans eſt Criticorum ſententia, ab Hieronymi ducta temporibus, eſſe hos Commentarios ſpurios, nec ei Theophilo, qui ſecundo ſæculo floruit, adſcribendos. Labbeus tamen apud Bellarminum (De Script. Eccleſ. in Theophil.) non magnæ ſolum auctoritatis exiſtimat, ſed hominis etiam Cypriano ætate ſuperioris. Cujus probare opinionem nequeo. Nonnulla enim in his Commentariis ſunt, quæ ex latinis Patribus deſumuntur, ut ex Hieronymo quatuor cauſſæ, cur Chriſtus ex deſponſata natus ſit, ex Cypriani ad Magnum epiſtola inſignis locus de illius corpore, & ſanguine, ex eodem Hieronymo alia. Lib. 2. & 3. Et Grabius quidem in Spicil. opinatur, Hieronymum potius, & Cyprianum hæc a Theophilo mutuatos fuiſſe; ſed quis ſibi facile inducat in animum, latinum Theophili Interpretem tanto ſtudio quæſiſſe verba a Cypriano, & Hieronymo adhibita, ut ea in ſuam interpretationem transferret? Quod ſi Hieronymus quatuor illas cauſſas a Theophilo acceperat, cur quartam, obſecro te, S. Ignatio, nullam prorſus S. Theophilo acceptam refert? Quatuor ergo horum Commentariorum libri quinto eſſe ſæculo antiquiores non poſſunt.

tionem voluit Dei ſummi propriam intellectam. Quamobrem eadem eidem verbo ſubjecta eſſe debet ſententia & aliis in locis ſimilibus, & num. præſertim 106., ubi hæc rurſus de Magis. *Cum igitur exorta eſſet & in cœlo, ſtatim atque natus eſt, ſtella .... ex Arabia Magi, re ex hoc ſigno cognita, advenerunt, eumque adoraverunt.* Res enim non ſolum ex ſuperioribus teſtimoniis a me explicatis, verum ex hoc etiam liquido apparet, quod in ſecunda Dialogi parte, unde teſtimonia protuli, nervos omnes contendit Juſtinus, ut Chriſtum Deum eſſe perſuadeat, eandemque, atque unicam vocem *προσκυνεῖν* conſtanter antea adhibuit, cum illum ſummi Dei loco venerandum a nobis, & colendum probaſſet. Neque vero unus Juſtinus ſive in Dialogo, ſive etiam in utraque Apologia, ſed poſteriores quoque Patres *προσκυνεῖν* pro honore, vel adoratione, quæ ſoli debita Deo eſt, identidem uſurparunt. Fecit id magnum græciæ præſidium Athanaſius in epiſtola ad Adelphium ſcribens, *οὐ γὰρ κτίσματι ἡ κτίσις προσκυνεῖ*, *non enim creaturam adorat creatura*. Fecit & Baſilius, qui apud Gregorium Nazianzenum Valentis Præfecto Arianæ propugnatori perfidiæ reſpondit, *nullam creaturam adorare ſuſtineo, cum ſim ipſe creatura Dei, & Deus eſſe jubear* (a). Fecit denique omnium frequentiſſime Cyrillus Alexandrinus libro tertio adverſus Neſtorium, ubi verſutus Græculus verbo *σέβειν*, quod eſt *venerari*, pro *λατρεύειν*, & *προσκυνεῖν* ſubdole utebatur. Ex his igitur perſpicue efficitur, docuiſſe Juſtinum, Arabiæ Magos Chriſtum veluti Deum ſuppliciter adoraſſe, idque pro certo habuiſſe in Dialogo, ubi cum Judæo pertinaciſſimo, & eo quidem docto Philoſopho diſputaret.

II. Liquidius tamen, & apertius de Matthæi ſententia judicat Lugdunenſis Antiſtes, idemque Chriſti miles fortiſſimus [7], qui

(a) Orat. 20.

7 Fruſtra enim poſt Henricum Dodvvellum (Diſſert. de ætat. Iren.), & Gullielmum Cave (Hiſt. Script. Tom. 1. ad an. Chriſti 167) Baſnagius

*Hærentem capiti multa cum laude coronam*

martyrii Irenæo noſtro conatur detrahere motus Tertulliani, Euſebii, Epiphanii, Theodoreti, & aliorum ſilentio. Hinc quippe id unum ad ſummam cogi poteſt, eos nihil de Irenæi martyrio reſciviſſe, quod tamen confidenter negare a ratione prorſus alienum eſt. Nam quid mirum his Patribus ignotum fuiſſe martyrium Antiſtitis, qui in remotiſſimis Occidentis locis, & in Eccleſia adhuc obſcuri nominis, exiguiſque regionum terminis circumſcripta ſanguinem cum aliis plurimis fuderit? Certe vitam pro religione dediſſe Saturninum Toloſanum, Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum una cum ſociis, Patroclum Trecenſem, Fructuoſum Tarraconenſem, & permultos alios, qui varias Occidentis partes ſuo ſanguine illuſtrarunt, tam clare compertum eſt, ut dubitare ne poſſint quidem, qui gloriæ ſibi

qui puer ſenem Joannis diſcipulum Polycarpum audiverat, & cujus multa ſapienter, & commode dicta memoriæ mandaverat (*a*), Irenæus. Nono enim capite Libri tertii, quem ante annum 190, ut auctor eſt eruditiſſimus illius editor Renatus Maſſuetus (*b*), abſolverat, hæc adverſus hæreticos, quos vult convincere, graviſſime diſſerit. *Matthæus autem Magos ab Oriente venientes ait, dixiſſe: vidimus ſtellam ejus in Oriente: deductoſque a ſtella in domum Jacob ad Emmanuel per ea, quæ obtulerunt, munera oſtendiſſe quis erat, qui adorabatur: myrrham quidem, quod ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur, & ſepeliretur: aurum vero, quoniam Rex, cujus regni finis non eſt: thus vero, quoniam Deus, qui & notus in Judæa factus eſt, & manifeſtus eis, qui non quærebant eum*. Mirum autem in modum ad id, quod quærimus, explicatio iſta munerum proficit, cum præſertim ex ipſa loquendi ratione non ſuo illam reperiſſe ingenio, ſed a Majoribus didiciſſe vir ſanctus videatur. Nam quod ait Simonius (*c*), ex verbo *oſtendiſſe* non colligi, Magos oblatorum a ſe munerum cognoviſſe myſteria, eſt id certe quidem minutioris Theologi. Principio pugnat cum Irenæi propoſito. Deinde cum thus ex conſuetudine, uſuque hominum ſit divinitatis indicium, vel Deo offerri ſoleat, dum litatur, hoc autem neque Irenæum, neque Magos lateret, quin iidem myſteria viderint, addubitare noſter ille non potuit. Quod ſi nobis, Simonii judicio, puerulum Jeſum Deum eſſe ideo Magi oſtenderunt, quod munus elegerint, quo illius notaretur divinitas, rogo, ecquo tandem modo rem pu-

bi ducunt martyrum numerum imminuere. Illorum tamen mentionem fruſtra requiras in Euſebio, Epiphanio, Theodoreto, cæteriſque Orientis Scriptoribus. Euſebius, cujus ſilentio adeo fidunt adverſarii, Hippolyti ſæpe meminit, opera ſigillatim enumerat, fuiſſe Epiſcopum narrat, martyrem nuſpiam. Et tamen martyrem e vita migraſſe vel ipſi Dodvvello perſuaſum eſſe debet. Nam in iis, quæ profert, Theodoreti adverſus Irenæum locis, martyr appellatur, nec ab Hieronymo ſemel.

Supervacaneam igitur, & odioſam operam collocant qui annituntur, Irenæum ne martyrem faciant. Martyrem Hieronymus nominat comment. in cap. 64. Iſaiæ, martyrem Auctor quæſtionum, & reſponſionum ſub Juſtini nomine (quæſt. 115), martyrem Gregorius Turonenſis (lib. 1. Hiſt. num. 29.), martyrem denique, præter Hiſtoricos, latina omnia Martyrologia ad diem 4. Kalend. Julii, & Menologia Græcorum ad diem 10. Kalendarum Septembrium. Ea vero Dodvvelli, aliorumque ſuſpicio verentium, ne fortaſſe vox martyris apud Hieronymum in contextum irrepſerit, & his teſtimoniis, & codicum omnium qui manu exarati ſunt, vel formis publicis prodierunt in lucem, auctoritate aperte ſatis, atque evidenter refellitur.

(*a*) Iren. ap. Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 20. edit. Valeſ.
(*b*) Diſſert. 2. in Iren. (*c*) Diſſert. Crit.

putandi ipſi ſunt ex Irenæo ignoraſſe? Neque enim alia de cauſſa pueri divinitatem, ac numen thus nobis deſignat; niſi quod Deo ex veteri hominum inſtituto offeratur. Suapte enim natura deſignare, ut opinor, non poteſt, ac, ſi quidem poſſet, haud dubie deſignaſſet & Magis. Quorſum ergo reſponſum recidat, videtis. Eodem accedit, quod, ut Simonius loquitur (*a*), divina providentia factum eſt, ut ea Magi deligerent munera, in quibus tantum myſteriorum ineſſet. Tam parum autem liberaliter egiſſe Deum fingemus, ut quos ad habendum munerum delectum permoverat, eiſdem poſtea occultam eſſe, & incognitam ſignificationem voluerit?

III. Quoniam ergo Simonius fruſtra ſe torquet, ut Irenæi auctoritatem imminuat, venio ad Patres, qui tertio ſæculo de religione ſcripſerunt, Tertullianum de Latinis, de Græcis Clementem Alexandrinum, Origenem, & Gregorium Thaumaturgum. Quamquam Tertullianus jam ſupra (not. 6.) prodivit in medium, poteratque idem ipſe commodius (nam quo antiquior, illuſtrium virorum plus valet auctoritas) in ſæculi ſecundi Scriptoribus numerari. Docente enim Jacobo Pamelio, librum adverſus Judæos anno 199. Tertullianus compoſuit, Alterio Saturnino, & Annio Trebonio Gallo Conſulibus. Quæ cum ſint, Tertulliano dimiſſo, ad Clementem Alexandrinum progredior.

IV. Hic tertio ineunte ſæculo floruit, Origenemque inter alios erudivit, qui etiam in demortui Præceptoris locum in publica Catecheſium Schola ſucceſſit, jubente Antiſtite Alexandrino Demetrio. Ac Clemens quidem Magorum mentionem injiciens thuris, ac myrrhæ, ſilet myſteria ab Irenæo, ut vidimus, celebrata; non obſcuris tamen indiciis docuit, aurum illos Jeſui Chriſto offerentes divinitatem ejus præ oculis habuiſse. *Lapis quidem certe pretioſus, vel margarita, vel ſmaragdus*, inquit, *ipſum Verbum ſignificat. Aurum autem rurſus eſt ipſum Verbum ab interitu alienum..... Atque ipſi quidem nato aurum obtulerunt Magi, quod eſt regni ſymbolum; manet autem hæc corona immortalis ad imaginem Domini: non enim veluti flos flacceſcit* (*b*).

V. Eſt autem aureus diſcipuli Origenis locus in egregio opere adverſus Celſi Epicurei librum conſcripto, & is quidem eo gravior, & illuſtrior, quo longius hoc opus ſive doctrinam, ſive diligentiam, ætatemque Auctoris conſideres, cæteris Origenis operibus ſapientiſſimorum hominum judicio antecellit. Hæc igitur in priori libro (*c*) de Magis perhonorifice prædicat. *In-*

D *Ju-*

(*a*) Loc. cit. (*b*) Pędag. lib. 2. cap. 8. (*c*) Num. 60. edit. Maur.

*Judæam venerunt pro certo habentes, quempiam Regem natum eſſe, quamvis & quodnam regni genus habiturus, & ubi naſciturus eſſet, ignorarent: ſumptiſque ſecum muneribus, quæ veluti ſymbola illi, qui ex Deo, & homine mortali eſſet, ut ita dicam, compoſitus, darent, poſtquam didicerunt, ubinam natus fuiſſet, ut Regi aurum, ut morituro myrrham, ut Deo thus obtulerunt.* En, Richarde Simoni, quid tandem Origenes in illos proferret, & ſcriberet, qui una cum Celſo religionem noſtram palam de impietate poſtularent, & maledictis proſcinderent. En quomodo aperiat, & declaret, quam tuetur ſententiam, eandem in noſtrorum omnium animis penitus inſediſse. Itaque, ut majus teſtimonio pondus accedat, nihil opus eſt cum Boſsuetio (*a*) ſumere, Origenianos in Celſum libros ſub ipſum vexationum tempus elaboratos fuiſse. Scripti ſunt enim, cum a multis annis ſumma in Eccleſia pax, & ſecuritas, etſi maxima in imperio rerum eſset confuſio, ut hic Auctoris locus luculenter patefacit. *Neque exterorum metu noſtrum inſtitutum confirmari vel hinc patet, quod jamdiu ſit, cum ſublatus eſt ille metus. Tamen crediderim, tranquillitatem illam, quod ad hanc vitam a Fidelibus tranſigendam pertinet, non diu duraturam eſſe. Nam qui noſtram omnibus modis doctrinam calumniantur, putant, cauſſam tantæ, quæ nunc eſt, rerum perturbationis eam eſſe, quod Fidelium numerus increverit, nec eos profligandos curent præſides, ut ſuperioribus temporibus factitatum* (*b*). Pergit interea Origenes, & poſtquam Magos tradiderat, Chriſto veluti Deo thus dediſse muneri, rem exinde confirmat, quod eorum in Chriſtum pietati, ac ſtudio magnum divinitus præmium delatum eſt. *Sed quoniam Deus erat Salvator ille generis humani Angelis, qui hominibus auxilium præſtant, longe ſublimior, Angelus Magorum, qui Jeſum adoraverant, pietati præmium retulit admonens, ne redirent ad Herodem, ſed per aliam viam reverterentur in regionem ſuam.* Perſuaſum igitur Origenes habuit, Magis divinitatem Chriſti exploratam fuiſse, quemadmodum etiam nobiliſſimus, atque ſanctiſſimus ejuſdem diſcipulus Gregorius cognomento Thaumaturgus, cujus teſtimonium brevitatis cupidus prætermitto [8].

VI. Nam

(*a*) Docum. 2. ut ſupra. (*b*) Lib. 3. num. 14.

8 Vid. Orat. in S. Theophania, quam tamen ſi cum Natali Alexandro, Dupinio, Caveo, aliis genuinum eſſe Gregorii fœtum repugnes, nec mihi inficiatione rei efficies, neque hic ego pugnaciter litigabo. Conſultius erit communem Chronologorum, atque Hiſtoricorum errorem de anno, quo vita functus Gregorius eſt, ob oculos ponere, eique certiorem alium annum ſubrogare. Omnes, quos

VI. Nam quarto ſæculo tot nobis Patres ſe offerunt, qui lumen huic loco ſuis ſententiis, atque ſuffragiis attulerunt, ut, quod alii ambitioſe magis, quam vere, ego certe veriſſime uſurpare illud poſſim, difficillimum eſse, ſingulos enumerare ſi velim, orationis exitum invenire. Quapropter adhibebitur a me certa ratio, moderatioque dicendi. Dignus eſt autem, qui audiatur Euſebius, apud quem Magi in primo Hiſtoriæ libro Herodi Regi ſignificant, incredibili ſe efferri ſtudio natum puerum, *utpote Deum, adorandi* (a). Dignus Gregorius Nazianzenus, qui noſtros ad imitandam religionem Magorum, perſpectamque omnibus pietatem etiam, atque etiam hortatur in hæc verba: *cum ſtella curre, cum Magis dona offer, aurum, thus, & myrrham*

 *ut*.

quos ego legerim, Auctores (illos intelligo, quorum opiniones confutatione dignas exiſtimem) Gregorii mortem in anno 265, vel 266 conſtituunt. Anno 266 magnus Cardinalis Baronius, cui Pagius (Notis ad hunc ann.), Labbeus (De Script. apud Bellarm.), aliique plurimi aſſentiuntur; anno autem 265 Natalis Alexander, Caveus (Hiſt. Script. ad an. 254.), &, qui alias nemini ſolet diligentia concedere, inveſtigator antiquitatis acer, & aſſiduus, Bertius (Diſſertat. Hiſtor. 4. in 3. ſæc. §. 24). Nituntur fere huic argumento, quod poſt Antiochenum primum Concilium, cui Gregorius interfuit, ſummum ubique de illo ſilentium. Sed lapſi ſunt viri alioquin doctiſſimi, cum ex Libello Synodico perſpicue pateat, Thaumaturgi mortem in annum ſaltem 270 differendam eſſe. En aureum Libelli ejus locum, quo moveor, num. 27. *Synodus divina, & ſacra provincialis, Antiochiæ collecta (cujus præſes erat Helenus Tarſi Epiſcopus; Theodorus Mopſueſtiæ; miraculorum effector Gregorius, Cæſareæ Ponti . . . & Malchion Antiochiæ ſanctiſſimus), quæ depoſuit, & abdicavit Paulum Samoſatenum, qui nihil aliud, quam Annas, & Caiphas de Chriſto docuit.* Sunt autem poſtrema Antiochena Comitia, in quibus Paulus damnatus eſt, & redactus in ordinem, anno habita 270, quemadmodum inter recentiores Chronologos convenit, & nos etiam in Diſſert. de Voce Homouſion &c. §. 4. oſtendimus. Cum ergo in his Comitiis noſter adfuerit, efficitur, ejus obitum ad annum 270, vel paullo poſt referri oportere. Libellus porro Synodicus Harduino, Labbeo, Fabricio, cæteris exploratæ eſt auctoritatis, & fidei, vocaturque ab Allatio (De conſenſ. &c. pag. m. 455.) *Synodicon accuratiſſime confectum temporibus Photii*. Omnium primus illum edidit Joannes Pappus Argentoratenſis Theologus, qui falſo tamen Nicephoro Patriarchæ Conſtantinopolitano Chronici auctori adjudicavit. Nicephorus enim anno 828 jam e vivis exceſſerat, Libelli autem auctor res anno 869 geſtas commemorat.

Cæterum, ne quid diſſimilem, hunc de Gregorii morte Scriptorum errorem primus ipſe per ſe deprehendit, & vidit Collega meus Joannes Baptiſta Curlus, ut latius ex perutili illius opere, cui jam extrema acceſſit manus, intelliges; ſi quidem modeſtia hominis nihil impediet, quo minus emittatur in lucem. Quæ dicta idcirco volui, ut amicitiæ, fideique erga illum meæ publica hinc eluceat, atque perpetua ſignificatio.

(a) Cap. 8.

*ut Regi, ut Deo, ut tua cauſſa mortuo* (*a*). Dignus præterea illius frater natu minor Gregorius, & Nyſſenus cognomine Judæos cum Magis elegantiſſime conferens. *Hi munera afferunt, illi inſidias ſtruunt, hi gaudent invento, quem exquirebant, illi, nunciato ipſius ortu, formidant, hi & tanquam Deo thus offerunt, & auro dignitatem regiam colunt, & prophetica quadam gratia per myrrham mortis diſpoſitionem ſignificant, illi vero cunctos infantes unum in locum coactos internecione tollendos cenſent* (*b*). Neque poſt Euſebium, & utrumque Gregorium prætereundus de Latinis Auctoribus C. Vectius Aquilinus Juvencus, genere Hiſpanus, inſtituto vitæ Sacerdos, idemque bonus Poeta, qui de Evangelica Hiſtoria quatuor conſcripſit Libros Conſtantini Magni nomine inſignitos. Etenim Magi apud hunc certiorem Herodem faciunt,

> *........ ſe ſe ſtellæ fulgentis ab ortu*
> *Admonitos, veniſſe diem, qua ſupplice dextra*
> *Exortum terris venerabile Numen adorent* (*c*).

Paullo poſt religioſus Poeta ita myſteria munerum explicat,

> *Aurum, thus, myrrham Regique, Hominique, Deoque*,

vel, quod pulchrius fortaſſe dixerit, ut ſingulæ ſententiæ cum ſingulis apte cohæreant,

> *Aurum, thus, myrrham Regique, Deoque, Hominique*
> *Dona ferunt.*

Fuere autem hi verſus ab Hieronymo in ſuos deinde Commentarios (*d*) cum laudis præfatione translati, cumque olim noſtris omnibus in ore eſſent, paſsimque mandarentur memoriæ, perfacile hinc apparet, Chriſtianum populum in ea verſatum fuiſſe ſententia, Magos Jeſui Chriſto vota ſuppliciter nuncupaſſe, & quid de illius natura, ac divinitate ſentirent, ſuis etiam teſtatum muneribus reliquiſſe. Quæ res ad refellendam Simonii opinionem permultum valet. Porro idem facit de his noſtris judicium Pictavienſis Antiſtes Hilarius celebratiſsimo, & pereleganti illo loco, de quo tot pridem controverſiæ, atque tragediæ excitatæ. *Parit Virgo*, ait, *partus a Deo eſt*, *Infans vagit*, *laudantes Angeli audiuntur*. *Panni ſordent*, *Deus adoratur*. *Ita poteſtatis dignitas non amittitur*, *dum carnis humilitas adoptatur* [9]. Hanc vero Hilarii ſen-

(*a*) Orat. 38. (*b*) Homil. de Chriſt. nativ. (*c*) Lib. 1. Hiſt. Evang. (*d*) In 2. cap. Matth.

9 Lib. 2. de Trinit. num. 27. edit. Maur. Fuerunt de veteribus Felicianæ hæreſis oppugnatoribus, qui Hilarii locum a Felice Urgellitano Antiſtite corruptum quererentur, ut inde efficeret, Chriſtum, qua hominem, adoptivum Dei Filium

ſententiam cum Ambroſius pulchre expreſſerit, atque exornaverit, ut ex appoſita nota intelliges, alia ejus teſtimonia, quæ locu-

Filium dici poſſe. In his, præter Hincmarum, Alcuinus lib. 6. adverſus Felicem: *quædam vero conſueta tibi verſutia immutare non times, ut in libris B. Hilarii fecisse videris: ubi ille præcipuus Doctor, & catholicus ait*: poteſtas dignitatis non amittitur: *tu omnino perverſiſſime dicis*, adoptatur, *ubi B. Hilarius*, adoratur. *Carnis equidem a Magis humilitas adorata eſt, & myſticis munerum ſpeciebus adorata, non adoptata*. At enim non ea ibi ſtat Hilario ſententia, quam conjicit Alcuinus. Sententia illius eſt, Deum a Magis in ſordidis veſtibus adoratum, atque ita poteſtatis dignitatem non eſſe a Dei Filio amiſſam, cum ab eo caro eſt aſſumpta. Hoc eſt enim, eſſe carnem a Deo adoptatam. Quam Hilarii ſententiam mire expreſſit, ac veluti παραφραστικῶς expoſuit Ambroſius cap. 2. lib. 1. de Fide. *Ut homo cernitur, ut Dominus adoratur, latet in pannis, ſed fulget in ſtellis. Cunæ naſcentem indicant, ſtellæ dominantem. Caro eſt, quæ involvitur, divinitas, cui ab Angelis miniſtratur. Ita nec dignitas naturalis majeſtatis amittitur, & aſſumptæ carnis veritas comprobatur*. Ubi caro Ambroſio *aſſumpta*, quæ Hilario dicitur *adoptata*. Quare non eſt hæc profecto de Hilarii ſententia adoptio Chriſti in Filium, qualem ſibi in humilitate carnis adoptata apud Hilarium Alcuinus fingebat; ſed carnis eſt adoptio, ſcilicet naturæ humanæ, qualem idem Hilarius in pſal. 127. vocat *adoptionem corporis, quod ex virgine præſumpturus eſſet*. Unde res ipſa poſtulat, ut de carne aſſumpta ſcripſerit *adoptatur*, non *adoratur*. Quam ſcripturam retinent antiquiſſimi Codices, Vaticanus præſertim ineunte circiter quinto ſæculo, ut auctor eſt Mabillonius lib. 5. de re diplom. exaratus, Colbertinus, & alii ante Felicis ætatem perſcripti, immo etiam reperit in libris ſuis B. Thomas Aquinas, niſi quod pro *carnis humilitas* legebat *carnis humanitas*. Hilario igitur idem eſt, eſſe carnem a Filio Dei adoptatam, ac naturam humanam in perſonæ unitatem ſibi adſcitam, atque conjunctam. Etſi enim Dei Filium humanam ſibi naturam adoptaſſe affirmaverit; diſerte tamen negat lib 3. num. 11. eſſe Chriſtum Filium Dei adoptivum. *Hic enim*, inquit, *& verus, & proprius eſt Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione*; quod etiam lib. 6. num. 44. & 45. uberius explicavit. Nollem ergo, dictum Gabrieli Vaſquezio, peracuto de Schola homini, excidiſſet, vix aliquem bonum ſenſum apud Hilarium expiſcari nos poſſe in verbo illo *adoptatur*, pro quo legit ipſe, *adoratur*. Quod enim homo Latinus elegantiori vocis uſu, nullo ad Filium reſpectu habito, carnem hominis dixerit a Deo adoptatam, quis mihi id verbi impietatis coarguat? Niſi vero adoptandi verbum ita accipiendum eſſe velis, ut de quacumque alia re, præterquam de Filiis, ejus uſum Latinis omnibus interdicas. Quod non facile, ut arbitror, latinæ linguæ copia patietur. *Adoptare* enim generatim idem eſt, atque eligere, adſciſcere, ſuſcipere, aſſumere, quidquid tandem illud fit, quod adſciſcitur. Obviam paſſim ſe nobis faciunt apud Latinos exempla. Varro apud Nonium in re militari: *referentibus centurionibus, adoptati in cohortes ſubibant*. Cicero in Verrem: *quem ſibi illa defenſorem ſui juris adoptavit*. Plinius in Procem. lib. 16. de inſitione: *pomiferæ arbores ſive illæ ultro, ſive ab homine didicere blandos ſapores adoptione, & connubio*. Eademque elegantia, & venuſtate Ovidius: *fac, ramum ramus adoptet*. Atque ad extremum in Cod. Juſtin. lib. 11. tit. 11. leg. 1. *quod in cultu, ornatuque noſtro ſacrum, & adoptabile eſt* (ſcilicet aſſumi, vel adhiberi poteſt), *id facere privata temeritas non præſumat*.

cupletiſsima alioquin ſunt, exſcribere ſuperſedeo (*a*). Quibus autem argumentis rem, de qua agitur, Chryſoſtomus demonſtrandam ſuſceperit, ſupra opportunius docui (§. 6. III.); quin etiam totas fere Homilias ſextam, & ſeptimam poſſem, ſi vacaret, producere. Nam Baſilius Magnus (*b*), Epiphanius (*c*), Auctor Epigrammatis Claudiano attributi (*d*), alii ſuis quique locis adeundi. Etenim ex veterum ſcriptis, ſi hic Lucretii verſibus uti non dedecet,

*Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,*
*Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta* (*e*),

multa conſulto tacita relinquentes, ne diligentiores videri dum cupimus, tædium legentibus, atque moleſtiam afferamus.

VII. Sed ecce ad quintum ſæculum, nobis quaſi inſciis, delapſa interea temporis oratio eſt, primoque fere aditu tot, ac tantos teſtes ad ferendam pro Magis ſententiam paratos conſpicimus, ut eorum auctoritate, ac multitudine Simonius obruatur, nos autem in hoc auguſtiſsimo Majorum ſenatu quid primum, quid ultimum exequamur, conſtituere, ſalvo officio, vix poſsimus. Nam Magos ad Chriſti pedes abjectos ejus divinitatem probe agnoviſſe, & religione, qua decuit, maxima coluiſſe, teſtificantur Hieronymus, Auguſtinus, Maximus Taurinenſis, Paulinus, Prudentius, Sedulius, Caſsianus, Cyrillus, Petrus Chryſologus, Leo Magnus, Arnobius, Gelaſius, atque, ut mittam reliquos, Euſebius Emiſenus. De Hieronymo quidem mox vidimus. De Sedulio, Prudentio, Gelaſio infra commodius (§. 15). Arnobium juniorem (*f*), Ma-

*mat*. Non cadit igitur in Hilarii locum mali erroris ſuſpicio, retinendumque eſt cum Petro Couſtantio (Vindic. vet. Codic.), & Vallarſio (Præfat. ad Hilar.) vocabulum adoptatur, ut hæc demum plana, atque expedita oriatur ſententia: etſi Dei Filius in cunis vagiat, in pannis ſordeat, laudatur tamen ab Angelis, & tanquam Deus a Magis perhonorifice colitur: ex quo fit, ut nihil illius dignitati, ac potentiæ detrahatur, dum ſe ad humanæ naturæ imbecillitatem, & conditionem accommodat. Vide Alex. Politum noſtrum Comment. in Martyr. Rom. ad diem 23. Januarii, ubi etiam omnium, quos viderim, luculentiſſime, clariſſimeque expoſuit verba a S. Ildefonſo concepta, atque ad ſolemnem divinorum myſteriorum uſum adhibita, tum illa Miſſæ de Cœna Domini: *qui per adoptivi hominis paſſionem, dum ſuo non indulſit corpori*: tum alia Miſſæ de Aſcenſione Domini: *hodie Salvator noſter poſt adoptionem carnis ſedem repetivit Deitatis*: quibus ex verbis, tanquam ex ſententia Toletanorum Antiſtitum Eugenii, Ildefonſi, Juliani, quorum teſtata eſſet doctrina, ac pietas, Elipandus arripuit, Chriſtum, qua hominem, Filium Dei eſſe adoptivum.

(*a*) V. Lib. 2. in Luc. num. 48.

(*b*) Homil. de Chriſt. nativ.

(*c*) Hær. 52. & alibi.

(*d*) Vide infra §. 15.

(*e*) Init. Lib. 3. de Rer. nat.

(*f*) Comment. in pſalm. 47. in Biblioth. Pat. Tom. 8.

Digitized by Google

Maximum Taurini (*a*) , Paulinum Nolæ (*b*) , Cyrillum Alexandriæ (*c*) Antiſtites , qui voluerit, conſulet. Vades enim illi libenter nos damus. Auguſtinum alias appellabimus ; nam locum, qui nunc eſt in manibus, pluribus rationibus acutiſsime, ut ſemper ſolet, defendit, & egregie confirmavit: nunc autem ſatis erit Auguſtinianæ ſententiæ quoddam veluti ſpecimen ex eo teſtimonio ſumere, quo Magorum in divinum puerum pietatem crudelitati Judæorum opponit. Sic enim ſummus Theologus: *illi in membris parvis Deum agnoverunt* , *iſti in factis magnis nec tanquam homini pepercerunt* (*d*). Hæc vero Petrus cognomento Chryſologus: *Magus ſic depoſito errore ſequitur*, *currit*, *pervenit*, *invenit* , *gaudet*, *procidit*, *adorat* , *quia non per ſtellam* , *non per artem*, *ſed per Deum*, *Deum ſe inveniſſe humana miratur in carne* (*e*) : quibus verbis omnes ex animo ſcrupulos , quos verbi *adoro* multiplex notio poſſet injicere , commodum nobis eripit, atque evellit. Nec minus clare, vel appoſite Joannes Caſſianus, is, qui ſeptem libris juſſu Leonis Magni compoſitis contumacem Neſtorium oppugnavit: *Magi crediderunt*, *omnia eſſe divina*, *ubi omnia humana defuerant* (*f*). Opportune etiam, & confidenter Euſebius , quem perperam antea Emiſenum vocabant , cum in præſentia doctiores non fugiat, Latinum fuiſſe hominem, atque, ut probabile eſt , Gallicanum Epiſcopum. Verba enim de officio faciens, quod Magi puero Chriſto pie, inviolateque præſtiterant, ita Matrem peramanter alloquitur. *Quanta igitur tunc tibi exultatio fuerit*, *o Virgo beatiſſima Maria*, *quis cogitare valeat*, *quando eum*, *quem nuper genueras*, *jam quaſi Deum adorari videbas* (*g*)? His autem auctoritatibus facere nequeo, quin ſingularem, ac perilluſtrem quendam Theophili Epiſcopi locum ſubjiciam. Invenio enim in ſcriptionibus, vel opuſculis, quæ ſacri Epheſini conventus acta antecedunt, atque ad faciendam fidem permultum valet. Deſumitur vero is locus, ut eſt apud Labbeum (*h*), *ex ſermone inſcripto ad eos*, *qui cum Origene ſentiunt*. Quapropter cum Patriarcha Alexandrinus Theophilus ſcriptis ſuis , teſte præſertim Gennadio, Origenianos vexaverit , mihi veriſimile ſit, eſſe fragmentum huic Theophilo magni Cyrilli Patruo adſcribendum. Sed quicumque demum auctor cenſeri debeat , dignum eſt teſtimonium, quod producatur. *Etſi infans*, ait Theophilus, *Emmanuel*

*ta-*

(*a*) Homil. 3. de Epiph. (*b*) Carm. 24. & alibi. (*c*) De Ador. lib. 9.
(*d*) Serm. 200. de temp. num. 3. (*e*) Serm. 156., & 158.
(*f*) Lib. 1. de Incarn. cap. 14. (*g*) Hom. de Epiph. Dom. in Bibl. Pat. (*h*) Tom. 3. Concil. pag. 686. cap. 4. par. 1.

*tamen eſſe agnoſcebatur*, μάγων πρὸς αὐτὸν ἰόντων, ϗ τῷ προσκυνεῖν, ϗ θεὸν εἶναι τὸν φανέντα βοόντων. *Conſtat namque Magos, qui ad illum venerunt, eum ipſum, qui apparuerat, adoratione ſua ut Deum agnoviſſe*. Ex his autem ea ſponte exiſtit complexio, nihil apud noſtros quinto ſæculo fuiſſe illuſtrius, atque teſtatius, nihil magis in tota, qua late patet, divina Republica omnium ſententiis; atque judiciis frequentatum, quam id, de quo addubitavit Simonius; ut mihi idcirco ſæpiſſime in mentem veniat opinari, Criticum hominem de tanta teſtium multitudine, & copia ne leviter quidem cogitaſſe, cum veterum Patrum auctoritati ſuſpiciones ſuas anteponendas putavit.

VIII. Reſtat igitur de ejus ſæculi Auctoribus, ut Romanum Pontificem Leonem Magnum expediam. Ex quo, ſi tantum mihi eſſet otii, integra fere volumina poſſem exſcribere. Octo enim Sermones, quos de Epiphania frequentiſſimo Sacerdotum collegio, & populo Pontifex eloquentiſſimus publice habuit, totidem a primo capite uſque ad extremum tabulæ ſunt, vel oracula, unde ſententiæ noſtræ lumen oboritur ſplendidiſſimum. Vide enim ut loquitur Sermone primo. *Conſummant ergo Magi deſiderium ſuum* . . . . . . *utque ſacramentum fidei ſuæ, intelligentiæque manifeſtent, quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi, ſcienter divinam, humanamque naturam in unitate venerantes, quia quod erat in ſubſtantiis proprium, non erat in perſona diverſum*. Adhuc elegantius, & ex linguæ latinæ ingenio Sermone tertio. *Officium ſuum cum religione diſponunt, ut adoraturi unum tria ſe ſimul crediſſe demonſtrent, auro honorantes perſonam regiam, myrrha humanam, thure divinam*. Ubi etſi humanam, divinamque Chriſto perſonam Leo noſter attribuat, ſuſpicari tamen nullo pacto licet, ne quid his verbis Neſtoriano dogmati conſonum, vel affine tradiderit. Nam præterquam quod & ſuperius teſtimonium, & opera, quam in profligandis Neſtorianis aſſiduiſſime poſuit, tam inique de illo nos opinari non patitur, certe quemadmodum tertiam in Servatore noſtro perſonam finxiſſe hic Pontifex cogitari non poteſt, dum perſonam regiam nominat, ſic etiam longiſſime abfuit, ut ejuſdem hypoſtaſim humanam eſſe, aliamque a divina ſtatuerit. Perſonæ ergo vocabulum metaphorice poſuit, pro vario ſcilicet ejuſdem perſonæ ſtatu, dignitate, & natura, id unice ſibi volens, Magos in eodem divino puero & dignitatem regiam, & utramque ſimul, qua conſtabat, naturam Dei, & hominis ſuſpexiſſe. Nihil enim apud Latinos Auctores, quos Leo magna eſt ſem-

per cum laude imitatus, frequentius, quam perſonam elegantiæ cauſſa traducere ad ejuſdem hominis peculiarem naturam, mores, ſtatum, dignitatem, officium, opinionemque exprimendam: in qua verbi ſignificatione, & vi multæ, atque diſſimiles in uno homine poſſunt eſſe perſonæ, mariti, patris, præceptoris, magiſtratus, principis, mitis, læti, iracundi, ſimilium. Hinc Cicero pro Clentio: *hujus Staleni perſona populo jam nota, atque perſpecta a nulla turpi ſuſpicione abhorrebat*; & in oratione pro Planco, *abjecta quæſtoria perſona, comitiſque ſumpta*; itemque initio Dialogi de amicitia, *Catonem induxi ſenem diſputantem, quia nulla videbatur aptior perſona, quæ de illa ætate loqueretur, quam ejus, qui in ipſa ſenectute præ cæteris floruiſſet*; ac tandem de Lege Agraria orat. 2. *vos mihi Prætori biennio ante, Quirites, hoc eodem in loco perſonam hanc impoſuiſtis, ut, quibuſcumque rebus poſſem, Pompeii abſentis dignitatem vobiſcum una tuerer*. Itaque latina eſt, & plena elegantiæ, nedum ad genium Neſtorianorum non ſapit magni Leonis oratio. Immo in eamdem, qua hic noſter, ſententiam perſonæ vocabulum a Baſilio etiam, & a Gregorio Nazianzeno interdum adhibitum, teſtis eſt mihi apud Photium locupletiſſimus Eulogius Alexandrinus. Qui illud admonet, ejuſmodi loquendi rationem, tanquam offenſionis cauſſam, fuiſſe poſtea improbatam, atque rejectam, quod ea Tritheitæ, interque hos Stephanus Gobarius, ad ſui criminis defenſionem abuterentur (*a*). Quapropter juſtas, debitaſque Theologis imprudentiæ pœnas perſolveret, ſi quis ita per hæc tempora de Chriſto diſſereret, cum præſertim nudiuſtertius in Gallia Auctor neſcio quis, imprudens fortaſſis ille, at certe totis fere ſui operis paginis non levia, nec obſcura reliquerit Neſtorianiſmi veſtigia, a me alias, ſi eam, quam habeo, voluntatem retinuero, obliteranda. Sed, ne quis me a propoſito aberrare ſtatuat, revertor ad Magos. Nam interea Leonis locum ſatis in tuto poſui, eidemque, niſi me fallit opinio, paullo majorem, quam Queſnellius, lucem, atque nitorem adhibui.

IX. Pertinerent ergo ad ſextum noſtri nominis ſæculum tum alii, tum nominatim Ruſpenſis Antiſtes Fulgentius (*b*). Poſtquam tamen antiquiores, ac veluti majorum gentium Patres audivimus, qui de divinis honoribus a Magis Dei Filio habitis concordiſſime explicant, jure quodam meo mihi agere videor, ſi finem faciam defatigandi mei, quin alios, qui ſupereſſent, & numero plurimos, & auctoritate graviſſimos teſtes, atque approbatores appellem.

E Eo-

(*a*) Phot. Cod. 230, & 232. (*b*) Serm. 5. de Epiphan.

Eodem accedit, quod nec mea ſedulitas importuna videbitur, & aliunde ſuperioribus rebus probe ſtabilitis, & fixis, dubitari certe quidem non poteſt, quin noſtra de Magis ſententia omnium animos, ac mentes pervaſerit, altioreſque in dies, ut aſſolet, in Eccleſia radices defixerit. Nam poſteriores Patres acceptam a Patribus ſuis doctrinæ hæreditatem ſumma ſemper fide, & religione conſervant. Quæ res, etſi confirmatione non egeat, ut tamen manifeſte deprehendatur, paucorum ex infinito numero teſtimonia, Gregorii verbi gratia, Theophylacti, & Arnoldi exponere non gravabor. Hinc enim de aliorum ſenſu proclive erit ſtatuere. Ergo Gregorius Magnus, qui ſexto exeunte ſæculo Romanus Pontifex factus eſt, diſertis verbis pronunciat, quod, *quem Magi adorant, etiam myſticis muneribus prædicant, auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem* (*a*); cui Theophylactus de Græcis ſæculi undecimi ſcriptor conſentiens, *vide*, addit, *animæ illuſtrationem. Pauperem videbant, & adorabant; multis enim argumentis didicerant, quod eſſet Deus. Ideo & ei offerunt munera* (*b*), cæteraque graviſſime. Poſtremus eſt Auctor Libri *de Cardinalibus Chriſti operibus*, quem etſi anteactis retro ætatibus librarius quidam cupiditate quæſtus adductus ſuppoſuerit Cypriano, pro Adrianoque, in cujus nomine apparuit, nomen Cornelii Cypriano coævi Pontificis callide ſubrogaverit, merito nihilominus Joannes Fellus Oxonienſis Epiſcopus in nova ejuſdem Cypriani editione Arnoldo Carnotenſi Bonæ-Vallis Abbati ſcriptori duodecimi ſæculi, tanquam germano parenti, librum fœtumque ſuum reſtituit. In ea igitur opuſculi parte, quæ de Stella, & Magis inſcribitur, hæc inter cætera redivivus Arnoldus. *Primitiæ gentium ſacramentalia munera proferunt de theſauris, & Domino aurum, & odoramenta præſentant, profitentes ex ratione munerum de eo, quem adorabant, quid crederent, quid ſentirent.* Miſſos, ut dixi, reliquos facio, miſſum Cæſarium, miſſum Bedam, miſſum Paſchaſium Radbertum, miſſum Anſelmum, Bernardum, Rupertum, Nicephorum Calliſtum, alios, ne te fortaſſe videar teſtimoniorum copia obtundere. Quod enim ab hujus articuli initio propoſui, poſſum aliquando tandem perorare, omnium Patrum, atque ſcriptorum aſſenſu eam comprobatam eſſe ſententiam, quæ cultum a Magis Chriſto puero adhibitum religioſum fuiſſe, ac divinum, non ejuſmodi, qui Regibus deferri ſolet, decernit.

10. Quapropter Richardus Simonius addubitans, an noſtri illi

(*a*) Hom. 10. in Evang. num. 6. (*b*) Enarrat in hunc loc.

illi Chriſtum veluti Deum venerati ſint, & coluerint, ſancitam a Tridentinis Patribus regulam de ratione ſacras interpretandi litteras violavit. Nec peccati hujus legitima, ut opinor, excuſatio eſſe poteſt. Etenim Simonius in quæſtione, quæ religionem attingit, certam, conſtantem, exploratiſſimam Majorum doctrinam, atque auctoritatem poſthabuit (§. 9.); Tridentinus autem Senatus, ut notum eſt, ſeſs. 4. *ad coercenda petulantia ingenia* decretum ſapientiæ plenum ediderat, *ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chiſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia...... aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum interpretari audeat.* Tu vero, Simoni, non ſolum a Tridentina regula aberraſti, ſed ne tuis quidem principiis, ut ſolent perſæpe Critici, inſtitiſti. Id enim in Præfat. in Hiſtor. Crit. vet. teſtam, conceptis verbis docueras, quod ex Traditione *ambiguas ſcripturas interpretari nos decet, ſicut ipſi Proteſtantes, & inter alios Illyricus, & Pleſſæus fatentur.*

11. Atque his ego alios Heterodoxos, ad Grotium atque Baſnagium oppugnandos opportuniſſime adjiciam. Neque enim exempla mihi deſunt illuſtria. Ut a recentioribus ordiar, Erneſtus Grabe in præfatione, quam operibus Georgii Bulli præpoſuit, doctrinam a Patribus traditam lydium lapidem, unde dijudicari controverſiæ debeant, nuncupat. Bullus autem in prima Apologiæ parte in Thomam Tullium editæ cauſsam hanc dedita opera agendam, & confirmandam aggreditur. Decretum recitat Anglicani Concilii habiti anno 1571., quo decreto una omnium voce ſtatutum eſt, ne quis *umquam doceat pro concione, quod a populo religioſe teneri, & credi velit, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ veteris, aut novi Teſtamenti; quodque ex illa ipſa doctrina Catholici Patres, & veteres Epiſcopi collegerint.* Decreto huic, quod Eliſabethæ Reginæ auctoritate munitum ſcribit, atque approbatum, ſanctionem addit, vel regulam Jacobi primi Eliſabethæ ſucceſsoris. Ipſe vero Bullus ex ſuo ſenſu ſic ſtatuit, hanc eſse optimam, immo unicam rationem calamitoſiſſimas, quæ Eccleſiam Chriſti hodiernam tot in partes ſciderunt, controverſias dirimendi, *ſi poſt ſacras Scripturas primævam, ac puriorem antiquitatem unice colamus, ac revereamur ipſi, aliiſque auctores ſimus, ut ejus conſentiens judicium, ubi reperiri poteſt, religioſe ſequantur.* Sed omnium diſsertiſſime, atque planiſſime in Prologo Defenſionis contra Bezam ex eadem hominum natione Sara-

via. *Contra unanimem, & conſtantem omnium Patrum veteris Eccleſiæ conſenſum nihil ſine expreſſo Dei verbo eſt innovandum. Hoc enim libere dico: quiſquis Patribus omnem auctoritatem adimit, ipſe ſibi nullam relinquit.* Et cap.7. operis: *Patrum concordi, & unanimi ſententiæ, abſit, ut Bezæ, aut Calvini, aut alicujus cujuſquam ex Neotericis præferatur judicium.* Ne longius abeam, ſunt in eadem ſententia Gerardus Joannes Voſſius in Epiſtola ad Forbeſium, Bilſonus contra Puritanos, Henricus Hammondus adverſus Blondellum, Montacutius in Originibus, Joſephus Hallus, Joannes Langus Sileſius, quorum hic, etſi ſuis ipſe præceptis non obtemperet, in Epiſtola tamen ad Maximilianum Bohemiæ Regem, cui novam Juſtini Martyris editionem abs ſe adornatam inſcripſit, ipſo veritatis, cujus maxima ſemper vis, coactus judicio apertiſſime profitetur, Patrum ſanctiſſimorum, *tanquam Eccleſiæ lucernarum magnam in ea eſſe debere auctoritatem non privatim tantum apud ſingulos, verum etiam publice in conventibus ſacris, & conciliis apud mortales univerſos, quibus nomine, & gloria Chriſti, & ſalute propria nihil eſt prius, & antiquius.* Quæ eo conſilio explicata a me ſunt, ut cauſſam eſſe nullam oſtenderem, quamobrem Grotius, in primiſque Baſnagius in hac de Magis controverſia veterum Patrum teſtimoniis non acquieſcant. Pudere enim illos debet a Majorum ſuorum exemplis, atque doctrina tam indecore deſciſcere. Sed quid ego his teſtibus utor, quaſi res dubia, aut obſcura ſit?

Nemo eſt enim, ut ait præclare Cicero, quem movere non debeat certis monumentis teſtata, conſignataque auctoritas, cui præſertim & divinæ litteræ præeant, & ipſa ratio lucem, ac firmamentum adjungat. Incredibilis tunc enim eſt vis, & auctoritas vetuſtatis, & ubi cum novitate certet, quæ ne ſpeciem quidem afferat veritatis, ſed ſolis conjecturis agatur, ſola nitatur ambiguitate vocabuli, eſt illa ſine dubio præferenda. Quæ ſane cadunt in cauſſam noſtram percommode (§. 6. & 20.). Itaque nec ipſa ars Critica patitur, ut hoc loco univerſam antiquitatem rejicias, quo conjecturis tuis tam licenter indulgeas. Alioquin cordatis viris vel debebis ludibrium, vel certe ſtomachum facies. Quod ſi in divinis teſtimoniis explicandis quidquam ingenio, & eruditioni tribuendum eſt, quid Patrum Græcorum ingeniis aut acutius, aut perſpicacius? Quid in ſacris litteris exercitatius? Græce, non abnuo, græce ſciebat Baſnagius. Numquid tamen, quod ipſe Baronio exprobrat, Athenas uſque navigavit? Numquid Juſtino, Irenæo, Origeni anteponendus? Numquid Euſebio,

ſebio, duobus Gregoriis Nazianzeno, & Nyſseno, Baſilio, Epiphanio, Athanaſio, Joanni Chryſoſtomo, Cyrillo, utrique Theophilo, numquid cæteris viris graviſſimis, quorum plures in media Græcia nati, inſtitutique ſunt, omnes autem plane ad miraculum græcas diſciplinas perceperant? Tantis ergo repugnantibus Patribus, deſinat cum ſuis clamare Baſnagius, Magorum adverſus Chriſtum venerationem, & cultum ad civilem potius, quam ad religioſum referri. Niſi enim deſinat, erit id, ut leniter agam, intolerandæ argumentum ſuperbiæ. Omitto hic Latinos Patres, quos tamen conſtat & ingenio, & doctrina, & græcarum litterarum ſcientia plurimum valuiſſe, atque adeo, quæ græcis Matthæi verbis ſubjicienda ſit vis, ſtudio conſequi potuiſſe. Multa enim prætereunda ſunt, ne quid habeat injucunditatis oratio, & tamen multa dicuntur, quæ aperte Baſnagii opinationem refutent, ut in Patrum, quos ille vidit, inducatur ſententiam.

12. Accedit, hanc de Magis doctrinam, a Majoribus quaſi per manus acceptam, Apoſtolicam habendam eſſe. Etenim ex aurea, ac celeberrima regula, quam Auguſtinus quarto libro adverſus Donatiſtas adhibuit, *quod univerſa tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Eandem ille in prioribus ad Januarium litteris ſtatuit, nec poſsunt Romani nominis inimici artificiis ſuis eludere. Si enim conſuetudinis, vel doctrinæ cujuſquam, quæ diu in tota Eccleſia inveteravit, originem, & principium nec ad ſummos Pontifices, nec ad ſacros Epiſcoporum conventus referre poſsumus, ſed ea doctrina ad heroica uſque tempora retro trahitur, conficitur plane, illam ab Apoſtolis profectam eſse. In hæc fere verba acutiſſimus Canus. Enimvero quod Magi unigenam Dei Filium venerantes ejus divinitatem cognitam, atque perſpectam habuerint, ab omni ſemper antiquitate noſtris probatum eſt, idque vetuſtiſſimi Patres, tanquam rem a Majoribus acceptam animoſiſſime tradiderunt (§. 9.). Fuit hoc etiam univerſæ Eccleſiæ perſuaſiſſimum. Neque enim aliud viri illis omnes tanta conſenſione docuiſse credendi ſunt, quam quod communiter Chriſtiana Eccleſia, cujus præcipua fuerunt præſidia, ſentiebat. Rem teſtimonia, quæ ſtudioſius in luce poſui, & illuſtravi, luculenter confirmant, paulloque poſt ſeorſim ab hoc loco magnis iterum argumentis demonſtrabo. Denique, quo de agimus, dogma neque a ſummis Pontificibus, neque ab ullo Patrum concilio tanquam ab auctoribus conſtitutum, atque profectum eſt; ab Apoſtolica igitur traditione ad nos permanavit. Hanc autem Baſ-

nagius,

Digitized by Google

nagius, ejuſque ſimiles, tantum abeſt, ut Simonius, repudiare non poſsunt. Quippe quod Apoſtoli de ſacrarum litterarum intelligentia diſcipulis tradiderunt, id non humanum, non lubrícum, ſed divinum eſt.

13. His ordine, atque dilucide explicatis, nemini in mentem mirari veniet, univerſam Theologorum familiam in eandem conſpiraſse ſententiam. Ex quo tertium mihi ſuppetit, nec idem exigui ponderis argumentum. Nam ut Melchior Canus graviſſime diſserit, concordi, atque perpetuæ Theologorum doctrinæ in rebus ad religionem ſpectantibus repugnare, niſi hæreſis eſt, profecto ab hæreſi non longe abeſt. Ego vero nemini notam inurere, hic autem brevem me futurum profiteor. Loco enim Theologorum omnium abunde unus eſſe poteſt, magnum Eccleſiæ lumen, & columen, B. Thomas Aquinas. Qui par. 3. totis octo art. quæſtionis 36. & articulo præſertim octavo, ubi quæſtionem movet, num *Magi convenienter ad Chriſtum adorandum venerint*, pro certo, & conceſso ſumit, eundem a noſtris qua Deum fuiſse cognitum, qua Deum legitime adoratum. Dum vero argumenta refutat contraria, præclaris in noſtram rem Auguſtini, Leonis, Gregorii Magni teſtimoniis utitur. Adeatur. Satis eſt enim oculos in ea loca conjicere. Similiter faciunt poſteriores Theologi, l'Herminier nominatim, Dionyſiuſque. Petavius oſtenſuri humanæ Chriſti naturæ, qua cum Dei Filio καθ' ὑπόςασιν conjuncta eſt, eaſdem, quæ ſummo Deo, honoris ſignificationes deberi. Ecce autem verba Petavii. *Ita Magi, divino impellente ſpiritu, profecti ſunt e patria, ut recens natum puerulum adorarent:* „ & procidentes adoraverunt eum „ (*a*). Calmetius vero interpres doctus, & nobilis, etſi in diſſertatione, quam de Magis conſcripſit, hunc Theologiæ locum, quod præſtitiſſet, non tractet, ejus tamen maximam eſſe præſtantiam probe intellexit, atque his verbis dicere exorſus eſt. *Magorum ad cunas Jeſu Chriſti adventus, & præſtita ab illis divino Infanti adoratio . . . . . argumentum eſt plane evidenter divinitatem Jeſu Chriſti demonſtrans*. Quod denique erat optabile, atque ad cauſſæ noſtræ præſidium pertinere plurimum videbatur, concordem omnium Theologorum conſenſum ſuffragio ſuo graviſſimo, & maximo BENEDICTUS XIV. nuperrime cumulavit. Neque id ſolum, verum & illud addidit, a Bibliothecæ Criticæ Auctore *magna ſane audacia dubitatum fuiſſe, num Chriſti divinitatem Magi Dominum adorantes perſpectam habuerint* (*b*).

14. Egre-

(*a*) Lib. 15. de Incarn. cap. 5. n. 3. Edit. lat. Patavii 1745.

(*b*) De Feſt. Jeſu Chriſti &c. num. 45.

14. Egregie igitur imperitis imponit, dum ſcribit Simonius (*a*), non deeſſe Interpretes, nec Theologos vetuſtiſſimos, qui exiſtiment, Chriſtum a Magis Dei loco habitum, atque honoratum fuiſſe. O turpem fallaciam! Quaſi ſcilicet non omnium magna eſſet concordia. Qui in contrariam abeunt opinionem, non alii demum ſunt, niſi poſteriores Hæretici Socinus, Crellius, Grotius, Baſnagius, quibus deinde Limborchius, & Joannes Clericus (*b*) acceſſerunt. Num his Theologis confidit Simonius? His patronis, ac ducibus gloriatur? Nam ex noſtris nemo unus eſt, qui diſſentiat. Immo, ut candide fatear, multa illa quidem, non omnia tamen Chriſtianæ doctrinæ capita ſunt, quæ tanta Patrum, Interpretum, Theologorum, ſcriptorumque omnium conſenſione, & copia approbentur. Quo certe fit, vix ut ulla Simonio errati venia dari poſſit.

15. Adde nunc ſuperioribus argumentis Eccleſiæ preces, & novus ei in collum laqueus inſeretur. Equidem neſcio, an noſter hoc eruditionis genere delectari admodum ſoleat; verumtamen ſecum tacitus reputet, neceſſe eſt, ſapientiſſimam Cœleſtini Pontificis regulam: *legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi*. In memoriam etiam redire debet, Auguſtinum & ſæpe alias plurimos, & Vitalem potiſſimum Chartaginenſem tota Epiſtola 217. ex ſtatis Eccleſiæ precibus firmiſſime confutaſſe. Poſt hæc attente me audiat. I. Eccleſia in feſto Epiphaniæ die ita Deum precatur: *Deus, qui hodierna die unigenitum Filium tuum Gentibus, ſtella duce, revelaſti*. Eſt autem hæc precandi formula longe antiquiſſima, & in Libro Sacramentorum Gregorii Magni continetur. Porro, ut ex ratione, ac veterum auctoritatibus palam eſt, unigenitum Filium Dei qui nominat, huic eandem, ac Patri, divinitatem adſcribit; Eccleſia igitur, quæ prece illa utitur, ſentit, ſempiternum Magis Patrem divinam Filii originem patefeciſſe; niſi quid ad hæc forte velis. Omnino eſt, quod velim, inſuſurrat Simonius. Nam hoc unum precis verba ſignificant, divino factum eſſe conſilio, ut Magi Chriſtum, qui aliunde erat Dei Filius, duce ſtella, cognoſcerent. Nihil vero minus. Teſtes primum appello Grammaticos. His enim, non Theologo ad intelligendam rem opus eſt monitore. Deinde Præfatio apud eundem Gregorium pridie Epiphaniæ ſic habet: *hanc etenim feſtivitatem Dominicæ apparitionis index ſtella præceſſit, quæ natum in terra cœli Dominum Magis ſtupentibus nuntiavit*, id eſt, quæ Magis natum eſſe Deum aperuit. Deinde Gelaſianus Sacramentorum codex, ex quo

(*a*) Vid. §. 3. (*b*) In not. ad nov. teſtam. Henrici Hammondi.

quo Sacramentarium excerpſit ſuum Gregorius, *in Theophania* (attendatur interea ad vim vocabuli longo ante tempore in Eccleſia uſitati) *in Theophania*, inquam, *in Die* magis adhuc perſpicue: *Deus, qui Verbi tui Incarnationem præclari ſideris teſtimonio indicaſti, quod videntes Magi oblatis majeſtatem tuam muneribus adorarunt*. Deinde Sacramentarium Gallicanum a Mabillonio editum *in Ephyſania* item in hæc verba: *Salutare tuum cunctis gentibus declaraſti, hodiernum declarans diem, in quo adoranda veri Regis infantia excitatos de remotis partibus viros clarior cæteris ſideribus ſtella perduceret, & cœli, ac terræ Dominum corporaliter natum radio ſuæ lucis oſtenderet*. Quo vero loco, ac pretio Sacramentarium ejuſmodi haberi debeat, ſupervacaneum eſt dicere. Eſt enim a Mabillonio emiſſum in lucem ex perinſigni Bobienſis Monaſterii Codice ante annos mille, id eſt a ſeptimo ſæculo litteris picto majuſculis, in eoque vetus Liturgia Gallicana continetur. Taceo ejuſdem Auctoris Miſſale Gothicum, atque alia id genus venerandæ antiquitatis monumenta multo pretioſiſſima. Hinc enim ſatis, ſuperque conficitur, nullum Simoniano effugio patere locum, & in Collecta, quam dicimus, id ſignificari ab Eccleſia, Magos noſtros ſingulari æterni Patris beneficio, ac munere unigenæ divinitatem Filii perſpexiſſe [10].

II. Idem

10 In Gregorii Magni Sacramentariis editis ab Hugone Menardo, & Pamelio extat in feſto Epiphaniorum die hæc precandi formula: *Deus illuminator omnium gentium da populis perpetua pace gaudere, & illud lumen ſplendidum infunde cordibus noſtris, quod trium Magorum mentibus aſpiraſti*, quod ſane lumen Simonii tenebras procul amovet, & diſpellit. Ut autem totius argumenti vim Simonius planius intelligat, ſciat, velim, tantam fuiſſe apud veteres Gregoriani Sacramentarii auctoritatem, ut illud interdum extremo poſt Libros novi Teſtamenti loco poſuerint. Sub finem Sacramentarii Gallicani index librorum utriuſque Legis adſcribitur, & poſt quatuor Evangelia Sacramentorum liber numeratur, hac deinde clauſula adhibita: *fiunt in ſumma libri ſeptuaginta duo*. Idem a Jona Aurelianenſi Antiſtite in vita S. Huberti Leodienſis Epiſcopi liber divinus vocatur. Qua de re adiri poteſt Dominicus Georgius de Liturgiá Rom. Pontif. Diſſert. 2. cap. 2. num. 2. edit. an. 1743. Magna hinc cura, & religione is liber aſſervari ſolebat. Nam in Remenſi Concilio apud Reginonem (Lib. 1. de Eccleſ. Diſciplin. cap. 60) cautum eſt, ut: *expleta Miſſa, calix, & Sacramentorum liber cum veſtibus Sacerdotalibus in mundo loco ſub ſera recondantur*. Quin etiam, ut libri reliqui ſacrorum myſteriorum uſibus deſtinati, tegumentis pretioſiſſimis ornabatur. Sic Hincmarus Remenſis, teſte Flodardo, translatione S. Remigii habita, inter cætera dona, quæ obtulit, *librum Sacramentorum ſub eburneis tabulis argento exornavit* (Lib. 2. cap. 9); tanta erat reverentia adverſus hunc librum a Majoribus noſtris adhibita. Mitto dicere de Gelaſiani Codicis antiquitate, & origine. Con-

ſu-

II. Idem ex aliis locis poteſt intelligi. Eccleſia enim hymno Poetæ Sedulii utitur, de Magis eleganter canentis, *Deum fatentur munere*, ſcilicet Deum agnoſcunt, ut ipſa per ſe loquitur res nullius oratione illuſtrata. Gemina Sedulius tradidit lib. 2. Paſchalis Poematis, quod Theodoſii juniqris nomine inſignivit:

*Aurea naſcenti fuderunt munera Regi,*
*Thura dedere Deo, myrrham tribuere ſepulto,*

ut idcirco uterque Poetæ locus vicariam ſibi lucem adhibeant, quam nulla umquam Simonii inobſcurabunt ſophiſmata. Concinit Aurelius Prudentius, cujus etiam verſus ad uſus Eccleſia ſuos prudentiſſime applicavit:

*Regem, Deumque annuntiant*
*Theſaurus, & flagrans odor*
*Thuris Sabæi:*

Quod enim fingit Simonius (*a*), Eccleſiam hoc unum ſentire, ipſa Magorum munera divinitatem Chriſti pueri deſignare, non autem a Magis ex induſtria delecta eſſe, ut eundem veluti Deum venerarentur, commentum ſane quadripartita ratione diſſolvitur: ex ſuperioribus (I), ex iis, quæ antea ad explicandum Irenæi locum attulimus (§. 9. II.), ex Patrum fragmentis, quæ per octo Epiphaniorum dies ex veteri Eccleſiæ inſtituto, & conſuetudine noſtri recitant Sacerdotes. Etenim in his fragmentis Hieronymus, Auguſtinus, Leo Magnus, Fulgentius, Gregorius, eorumque verbis Eccleſia maximis ſtatuunt litteris, Magos & cœleſtem puerum qua Deum religioſiſſime adoraſſe, & præclarum thuris munus hoc ei nomine, atque conſilio obtuliſſe. Librum in manus ſumat Simonius, &, qua irretitur, fallaciam ſuis ipſe oculis deprehendet. Quid plura? Liberaliter demus, quod concedi nulla nec ratio, nec auctoritas patitur, Magi, per me licet, myſteria munerum non perſpexerint; non illud tamen, niſi imperitiſſime efficies: Eccleſia ergo non docet, noſtros divinis Chriſtum honoribus affeciſſe. Nam quod reapſe doceat, uberrime demonſtravi.

16. Cum magnis undique urgeatur anguſtiis, urgerique ſe ſentiat, en qua tandem Simonius evadere nititur. Eſto, ait, veſtra Eccleſiæ arrideat, perplaceatque ſententia. Haud ſane in lucro

F

ſulantur præ cæteris doctiſſimus Cardinalis Thomaſius in Præfat. ad Codices Sacram. & Petrus Brunus in Liturgicis gallice editis Tom. 2. Diſſert. 2. art. 2. Palam autem hinc eſt, incredibilem eſſe argumenti noſtri auctoritatem ab Eccleſiæ precibus, atque ſententia repetiti.

(*a*) Diſſert. Crit. pag. 147.

lucro ponendum eſt. Quandoquidem reliquorum Scriptorum inſtar ſuis & ipſa opinionibus ducitur, cujuſmodi eſt Deiparæ in cœlum Aſſumptio, neque his obſiſtere, aſſenſum ſaltem ſuſtinere, piaculum. Niſi vero exiſtimes, Mariæ etiam in cœlum una cum corpore aſcenſum, ex Joanne Damaſceno depromptum, in fidei capitibus numerandum (*a*). Sed neſcio, qua animi fiducia noſter hic doctrinam de Magis ab Eccleſia traditam, & ab omni antiquitatis memoria propugnatam in opinionum familiam nihil hæſitans referat. Certa eſt enim, cognita, atque explorata ſententia, non opinio de multis aliqua, cui liceat refragari. Opinionem, cum proprie loquuntur, appellant Philoſophi, quæ paribus utrinque nititur rationum momentis; conjecturæ autem Simonii ne tanti quidem ſunt, quæ cum noſtris rationibus conferantur. Nec obeſt exemplum, aut ſimilitudo, a qua petit deſperatæ cauſſæ præſidium. Divinæ in cœlum Matris Aſſumptio pia traditio eſt, & retinenda illa quidem, quippe & Mariæ, cui Deus nullum ornamentorum genus non contulit, perhonorifica, nec ſuis, vel veterum teſtimoniis, vel, quas *convenientiæ* dicimus, rationibus deſtituta. Plurimum tamen ab Eccleſiæ doctrina de adoratione Magorum ea diſtat traditio. Hæc enim divinis fulta eſt teſtimoniis (§. 6.), concordibus Patrum (§. 9.), Theogolorumque (§. 13.) ſuffragiis firmiſſime comprobatur, magno rationum apparatu defenditur (§. 20), in ipſam ſe denique religionem inſinuat: quapropter ſine temeritatis, atque audaciæ nota in quæſtionem vocari nequit.

17. Interim Eccleſiæ ſententia probe, ut arbitror, conſtituta, ſua jam ſponte ſequitur, quod quinto loco me effecturum propoſui, fidem Magos ſuam ipſis muneribus declaraſſe. Neque, ſuperioribus rebus expoſitis, eſt, cur diutius in hoc argumento exornando me torqueam, cum ejus vis elevari non poſſit, quin eadem opera Eccleſiæ (§. 15.), & Patrum (§. 9.) labefactetur auctoritas. Poeta quoque antiquiſsimus brevi Epigrammate, quid in muneribus ineſſet myſterii, clariſsime expoſuit.

*Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges,*
*Myrrham homo, Rex aurum, ſuſcipe thura Deus.*

Claudiano a multis tribuitur, ac præſertim ab Joanne Camerte in illius vita, & a Gaſpare Barthio in notis, ſed ab Auguſtino, & Oroſio Poetæ a Chriſti nomine alieno. Cæterum *ſi Claudiani non eſt*, *certe*, ut ait Canus, *elegantiſſimi Poetæ eſt*, ac nobis perutile. Neque enim alia de cauſſa putaverim, Matthæum, qui tam parce de Magis narravit, munerum tamen tam diſtincte mentio-

(*a*) Simon. loc. cit. pag. 149.

tionem feciſſe, niſi ut pateſaceret, eos non animo ſolum, ſed etiam auro puerum veluti Regem, myrrha veluti hominem morti obnoxium, thure denique veluti Deum agnoviſſe, atque adoraſſe. Ad hæc ut myrrha, auctore Plinio, mortuorum cadavera, ne putreſcant, condiuntur, aurum vero regiæ eſt poteſtatis, ac dignitatis indicium, ſic apud omnes nationes conſuetudo ſemper obtinuit, ut thus Deo offeratur. *Non ignota loquor*. Quidni igitur Magos ad divinitatem pueri reſpectum habuiſſe putabimus? Equidem Simonius, qui in Diſſertatione Critica & ſæpius, & diſerte affirmavit, ipſa Magorum munera eas Chriſti dotes exprimere, repugnare non poteſt (§. 9. II.).

18. Nam quod ait Baſnagius, Patres in explicatione munerum myſteria venari, pace ejus dixerim, & arroganter loquitur, & imperite. De arrogantia conſtat; nec minus de imperitia. Neque enim exquiſitiori artificio opus eſt, ut ea aperiamus myſteria, ſed ultro menti ſe offerunt, & ipſa fere per ſe in animos illabuntur. Abeat ergo cum venatione illa ſua Baſnagius, nec Patres noſtros ex ſuorum moribus æſtimet. Quæret fortaſſe quiſpiam, ecquos tandem in uſus oblata Filio munera Mater inſumpſerit. Satis exploratum non habeo. Opinatur Calmetius (*a*), modica, & tenuiora fuiſſe, quod Maria ſtato expiationis die inopum ritu duos turtures agni vicem obtulerit. Cui non aſſentior. Facile eſt enim cum Polito (*b*) noſtro ſtatuere; noluiſſe puerperam Virginem pretioſa illa munera palam oſtentare, quæ periculum ab Herode maximum creare infanti Filio potuiſſent. Hinc religioni duobus oblatis turturibus, vel columbis prudentiſsime ſatisfecit. Eadem reſponſione prima concidit Baſnagii ratio adverſus Romanæ Eccleſiæ, in quam petulanter inſultat, conſuetudinem nitentis oſtendere, Magos non ante, ſed poſt Purificationem Virginis ad Chriſtum veniſſe. Hæc, Baſnagi, argumenta illa tua non inertia, quæ habere te ais (*c*), unde a Romanorum diſciplina recedas? Scio equidem, quid nonnulli ſenſerint vetuſtiorum; quorum tu tamen veſtigia minime perſequeris. Sed conſulatur idem Politus, ut magis, magiſque appareat, Eccleſiam Romanam non pro imperio, ut calumniatur Baſnagius, ſed pro ſapientia ſua ſingulari anniverſariam Magorum memoriam proximis a Chriſti ortu diebus recolere. Sunt interea qui cum Maldonato exiſtiment, munera a religioſiſsima Virgine conſecrata fuiſſe, alii, qui ſentiant in uſus itineris conſervata. Ego hoc unum adverſus Baſna-

 gium

(*a*) In cap. 2. v. 11. Matth. (*b*) Martyrol. Rom. ad diem 7. Januar.
(*c*) Loc. cit. §. 60.

Digitized by Google

gium definio, nec injuria, Magos non ea ſolum de cauſſa munera dediſſe puero, ut illius, ac parentum inopiam ſublevarent. Animos etiam ad regiam Chriſti dignitatem, ad humanam, divinamque naturam attenderunt (§. 17.). Si una inopiæ habita ratio, præſtabat auri pondus augere, miſsis thuris, myrrhæque muneribus. Aurum enim opportuniori, quam hæc, ut adverſarius loquitur, *adjumento fuiſſet contra vim paupertatis fugientibus in Ægyptum* (*a*), atque auro parentes commodius ſibi, & Filio cibaria comparaſſent.

19. De conſilio igitur, quo nobiles advenæ myrrham, aurum, ac thus Chriſto dedere muneri, mihi cum Baſnagio non convenit. Si vero ex ipſa munerum qualitate placeat homini, ut facit, ex Arabia Magos deducere, magnopere non repugnaverim. Arabica enim ſunt munera. Solent dona qui offerunt, eas ſeligere, quibus maxime rebus patria foris commendetur, & floreat. Quare his Jacobus verbis allocutus eſt Filios maturantes reditum in Ægyptum: *ſumite de optimis terræ fructibus, & deferte viro munera* (*b*). Rex etiam Indorum Porus, ut a Strabone dictum accepimus, Auguſto muneri miſit *viperas ingentes, & ſerpentem decem cubitorum, & teſtudinem fluviatilem trium cubitorum, & perdicem vulture majorem* (*c*). Quis autem neſciat, thuris, myrrhæ, aurique copia in magna Arabiam celebritate verſari? *Myrrham etiam, & Diis gratiſſimum, perque univerſum orbem diffuſum thus extrema Arabiæ ferunt*, locus eſt Diodori hiſtor. lib. tertio cap. 12. De thure autem multa ſcitu gratiſsima Plinius. *Thura, præter Arabiam, nullis, ac ne Arabiæ quidem univerſæ, regio eorum thurifera Saba appellata . . . . . Hi primi commercium thuris fecere, maximeque exercent, a quibus & Minæum dictum eſt. Nec præterea Arabum alii thuris arborem vident, ac ne horum quidem omnes. Feruntque, tres mille non amplius eſſe familiarum, quæ jus per ſucceſſiones ſibi vindicent: ſacras vocari ob id, nec ullo congreſſu fœminarum, funerumque, cum incidant eas arbores, aut metant, pollui, atque ita religione merces augeri.... Nec arboris ipſius quæ ſit facies, conſtat. Res in Arabia geſſimus, & Romana arma in magnam partem ejus penetravere . . . ., nec tamen ab ullo, quod equidem ſciam, Latino arborum etiam tradita facies* (*d*). Aurum denique Arabicum non uno in loco ſacræ litteræ celebrant, Geneſis præcipue cap. 2., & pſal. 71. in hæc verba, *& vivet, & dabitur ei* de

(*a*) Ibid. §. 62. (*b*) Gen. cap. 43. v. 11. (*c*) Lib. 15.
(*d*) Lib. 12. cap. 14.

Digitized by Google

*de auro Arabiæ*, quæ de Magis antiquus ſemper Eccleſiæ chorus intonuit. Atque his mercibus Arabes olim negotiabantur, ut ab Ezechiele didicimus cap. 27. v. 22. *Venditores Saba, & Reema, ipſi negotiatores tui: cum univerſis primis aromatibus, & lapide pretioſo, & auro, quod propoſuerunt in mercatu tuo*. Munera igitur cum Arabica ſint, non Perſica, in eorum facile opinionem relabimur, qui Arabes fuiſſe Magos exiſtimant. Ex Arabia etiam moverat Regina Saba, quæ Salomoni munera attulit *centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas* (*a*), ut proinde ex ſimilibus utrorumque muneribus communem omnibus fuiſſe patriam non immerito colligatur. Vetuſtiſsima præterea eſt Chriſtianorum, atque inter eos Juſtini martyris (§. 9. I.), ac Tertulliani (not. 6.) ſententia, quam & Epiphanius retinet, ab Arabia veniſse hos ſapientes. Plurimum autem deferendum eſt auctoritati Juſtini, Samaritani hominis, & qui propius abfuit ab Apoſtolorum ætate.

Ex alia parte ſi Arabes ſtatuas Magos, nihil erit, quod tibi negotium exhibeat. Profecti ſunt enim ab Oriente. Sacris autem Scriptoribus Arabia Judææ ad Orientem ſita eſt, quemadmodum aperte conſtat Gen. cap. 10. v. 30. c. 25. v. 6. 18. Job c. 1. v. 3. Judic. c. 6. v. 3. Lib. 1. Reg. c. 4. v. 30. Iſaiæ c. 11. v. 14. Jerem. c. 49. v. 28. Tacitus etiam dum deſcribit Judæam: *terra, fineſque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur* (*b*). Nec ulla obeſſe poteſt regionis longinquitas, etſi Magi, conſpecto ſidere, non ſtatim diſceſſerint. Arabia enim abeſt Bethlehemo iter octo dierum, ut vir doctrina, & eruditione præcipuus Petrus de Marca in libello tradidit de Adventu Magorum ad Chriſtum, qui apparet inter opuſcula ejus poſthuma a Stephano Baluzio edita. Quippe maxima eſt, ac pene incredibilis Camelorum, quos dromadas vocant, celeritas. Exemplum Strabo (*c*), Quintuſque Curtius (*d*) ſuppeditant, narrantes Polydamantem, & ſocios e Drangis ab Alexandro Ecbatanâ miſſos, ut Parmenionem occiderent, vectos dromadibus dierum triginta, aut etiam quadraginta iter undecim diebus feciſſe. Nec mirum. Dietim enim dromades, eodem Strabone teſte, mille conficiunt ſtadia, paſſuum ſcilicet millia viginti quinque, ut Magi idcirco uſi dromadibus Bethlehemum commodo magno ſuo pervenire potuerint poſtridie nonas Januarias. Habuit autem antiquitus & Arabia ſapientes ſuos tum naturæ omnis, tum aſtrorum in primis ſtudioſos; quod nos docent Jobi,

(*a*) Lib. 3. Reg. cap. 10. v. 10. (*b*) Hiſt. lib. 5. cap. 2.
(*c*) Lib. 15. (*d*) Lib. 7. cap. 2.

Digitized by Google

Jobi, & amicorum colloquia. Et Pythagoram ſapientiæ cauſsa Arabes adiiſse, ſcriptum Porphyrio, cujus in eam rem teſtimonium apud Cyrillum extat in decimo contra Julianum. Quin ipſum nomen Elymas, quod a Luca in Actis Μάγος vertitur (*a*), ab Arabia venit. Philoſtratus etiam Arabiæ Magos commemorat *Arabes*, inquiens, *ab avibus non ſecus, ac ab oraculis, quæ ventura ſunt, auguria captant. Id autem aſſequuntur, ut ajunt, draconum corde, aut hepate in cibis aſſumpto* (*b*). Niſi hoc enim, quid demum eſt, eſse Magum? Eorundem meminit Plinius dum de Pythagora, & Democrito loquitur, qui *ambo, peragratis Perſidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magis*, librum de herbarum effectu ſcripſerunt (*c*); & Ptolemæus in Arabia ponit Magorum ſinum (*d*). Atque hinc refellitur & Hyacinthus Serry dicens, *Magorum nomen fuiſſe apud Arabes inauditum* (*e*), & promus ille condus eruditionis Caſaubonus, cui ſi credimus, *Magos Arabum nullus Scriptor græcus, nullus latinus commemorat* (*f*). Magos igitur Filii Dei cultores diſceſſiſse ex Arabia, his motus rationibus Baſnagio aſsentior; quod autem dona puero ſua offerentes inopiæ tantum, qua premebatur, conſultum voluerint, in eo ſi hallucinari hominem dixero, ſubiraſci non debet (§. 17.)

20. Sed venio ad rationes, quæ nobis Magos objiciunt Chriſtum venerantes ut Deum: Sunt enim plurimæ, eædemque non infirmæ, nec leves, quas tamen, ne moleſta oratio ſit, percurram potius, quam dilatabo. I. Primam mutuor ab Joanne Chryſoſtomo, cui præclare homilia 8. obſervatum, quod Magi admoniti, ne redeant ad Herodem *in nullam hinc ſcandalum commoventur, nihilque omnino turbantur, neque ipſi ſecum diſputant dicentes: ſi magnum quiddam eſſet hic puer, & potentiæ aliquid haberet, nobis adoratoribus ejus quid opus eſſet fuga, occultuſque diſceſſus?* II. Deinde perplacet mihi ratio illa altera, quæ auctores habet Athanaſium de Græcis (*g*), de Latinis Auguſtinum, & Fulgentium, complures antea Judæorum Reges fuiſse natos, immo etiam obiiſse, neminem tamen quæſitum a Magis, nemini ab exterarum nationum hominibus, dum in cunis vagiret, venerationem adhibitam. Quid iſthuc vero? An nondum Orientis populi illud officii munus, quo Reges colendi, didicerant? Tam ſero igitur pervaſit ea conſuetudo Orientem? Scilicet noſtros pueri magis divinitas rapuit, quam regia movit auctoritas. III. Belliſſime

poſt

(*a*) Cap. 13. v. 8. (*b*) Lib. 1. cap. 14. (*c*) Lib. 25. cap. 2.
(*d*) Lib. 6. cap. 7. tab. 6. Aſiç. (*e*) Exercit. 2. §. 10.
(*f*) Exercit. 2. in Baron. §. 163. (*g*) Lib. de Incarn. num. 25.

Digitized by Google

poſt Auguſtinum Leo Pontifex in aureis de Epiphania ſermonibus. *Deus, qui Magos de longinquo vocabat, eoſque miro modo illuſtrabat interius magis, quam exterius, non ſivit, eos coram Jeſu Chriſto myſterii hujus naturam ignorare, cum juſtificari omnino non poſſent, niſi qui Dominum Jeſum & verum Deum, & verum hominem credidiſſent*. Quæ Leonis ratio non ea diluitur Simonii argutia (*a*), in veteri lege potuiſse homines juſtitiam adipiſci, quin explicite, ut loquimur, crederent, Meſſiam fore Deum. Sunt enim Magi gentium primitiæ, & Chriſtiani nobis ex omni parte ſimillimi; adeoque ſi nobis, potiori jure debuit Magis Chriſti explorata eſse divinitas. Potiori vero jure. Primorum enim non eadem, quæ reliquorum, ratio. Quædam in illis divinæ voluntatis prærogativę elucent, excellentiæ quædam ſunt, quas, fruſtra in his deſideres. Qua de re, niſi in ſacrorum voluminum lectione plane hoſpes ſis, non potes ambigere. Quippe exempla quaſi incurrunt in oculos quam ſæpiſſime. Appoſite igitur S. Cæſarius. *Magi confirmato ad venerandum animo, expiato errore, ſua ſunt ſponte tanquam Evangeliſtæ, & primi præcones gentium de divini hominis adventu* (*b*). Quæ vetus ſententia eſt aliorum Patrum firmata conſenſu. IV. Jam vero voluit Genitor ſempiternus, ut beatæ illæ mentes Filium, vix in lucem editum, religioſe adorarent, narrante Paulo in epiſtola ad Hebræos, quod *cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli ejus* (*c*). Voluit, ut eundem pie, ſancteque venerarentur paſtores, quippe quibus arcanum myſterium patefecit. Accivit autem ad Filii cunas & Magos. Quo id vero conſilio? Niſi ut etiam a Magis divinis puer honoribus coleretur, ne qui ſcilicet eſsent cœli, terræque incolæ, qui Filium ſibi cariſſimum legitime non adoraſsent, admirabiliſque myſterii notitiam aliquam non haberent? Neque enim aliud exiſtimandum eſt, fuiſse Deo propoſitum, cum ejus imperio ut cœleſtes illi Genii, ita Paſtores, & Magi ad inviſendum Filium ſub humana latentem ſpecie accurrerunt. Ad hæc Paſtores certiores facti ſunt, *natum eſſe hodie Salvatorem, qui eſt Chriſtus Dominus* (*d*), nimirum Deus, ut recte interpretantur cum reliquis Maldonatus, Corneliuſque Janſenius (*e*); Magos autem credideris unice didiciſſe, natum eſſe Regem Judæorum? *At ſi in Paſtoribus prior gratia, in Magis major humilitas*, ſcite ait Aur. Auguſtinus; ut pro-
inde

(*a*) Differt. Crit. pag. 154. (*b*) Dial. 2. Interrog. 107.
(*c*) Cap. 1. v. 6. (*d*) Lucę cap. 2. v. 11.
(*e*) Comment. in concord. Evang. cap. 8.

inde veriſimile nullo modo ſit, deteriore Magos, quam Paſtores, conditione fuiſse. V. Præterea ex veteri Theologorum axiomate, cui multam peropportune lucem attulit Bertius (a), Deus operam hominum ſibi rite morem gerentium non reſpuit, ſuamque illis opem deeſse non patitur. Eſt igitur plane incredibile, *viros ſuperni luminis ductum, & prævii fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes* (utor hic Leonis Magni teſtimonio) *ad agnitionem veritatis ſplendore gratiæ non perveniſſe* (b), cum præſertim Chriſti cauſsa longum, moleſtumque iter ſuſceperint, ſe ſeque in multas, ac varias dimicationes objecerint. Vix enim Hieroſolymis ſciſcitati ſunt, *ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum* (c)?, cum ſtatim improviſus ipſorum adventus, interrogatio, cauſsa itineris totam urbem, Herodemque in primis Regem anxium, atque ſollicitum habuere. Suſpenſa erat metu civitas; aliunde Herodes ſibi egregie conſcius de veteri Judæorum erga ſe odio verebatur, ne quid is nuncius turbarum cieret, quod in apertam ſeditionem erumperet. Quæ cum ſint, res eſt a divinæ beneficentiæ legibus diſsentanea, Magis divinitatis Chriſti cognitionem eripere. Immo Auguſtinus, quem ego vehementer probaverim, hanc illis notitiam fuiſse inſitam ſtatuit, ſtatim ac ſe in viam dedere. Quid enim hæc incredibilis in Magis alacritas? Quid tanta animi magnitudo, excelſitas, feſtinatioque ſignificat? *Numquid*, ait, puerum *tanta devotione requirerent*, *tanto pietatis affectu deſiderarent*, *niſi eum agnoſcerent Regem Judæorum*, *qui Rex eſt etiam ſæculorum* (d)? VI. Origenes inde etiam rei argumentum deſumpſit (§. 9. V.), quod ſapientes illi puerum venerati reſponſum, veluti pietatis præmium, tulerint, ne ad Herodem remigrarent. Sed & poſsumus eodem ex loco aliter rationes ſubducere. Neque enim crediderim, Magos in quiete a Deo commonefactos fuiſse (divinum enim ſonat oraculum græca vox χρηματισθέντες, quam latinus Interpres vertit, *reſponſo accepto*), ut ne ad Herodem redirent, quo illius manus, & inſidias ſubterfugerent; neque id tamen, quod longe pluris interrat, a Deo accepiſse, Deum eſse, cui ſe ad pedes abjecerant, puerum. Certe cum Chriſtus beneficia in homines contulit ad corpus ſpectantia, prius animorum ſaluti, atque incolumitati conſuluit. Hac enim nihil ſanctius, antiquius habebat nihil. Quapropter Joannes Chryſoſtomus eum Matthæi locum de Paralytico expli-

(a) Lib. 14. de Theol. Diſ. cap. 12. (b) Serm. 1. de Epiph. cap. 2.
(c) Matth. cap. 2. v. 2. (d) Serm. 31. de Temp. nunc 201. num. 1.

Digitized by Google

explicans, *conſide fili, remittuntur tibi peccata tua* (a), διὸ ὡς μὲν πιςεύσαντι, inquit, τὰς ἁμαρτίας ἀφίησιν, ὡς δὲ ἐξ ἁμαρτιῶν τὴν νόσον κεκτημένον λύει τὸ παρέσεως, *propterea primum ei peccata dimittit, tum a morbo, quem ex peccatis contraxerat, hominem liberat*. Nunc addendæ eodem tum aliæ, quas prætereo, rationes, tum graviſſimæ illæ duæ ſuperius a nobis opportuniori loco productæ (§. 6. III.), quarum alteram non a Chryſoſtomo ſolum, verum etiam a Patribus fere omnibus uſurpatam reperio. Datam enim ab initio fidem mihi videor aliquando tandem liberaſſe. Quoniam ex divino primum oraculo (§. 6.), deinde ex Majorum doctrina (§. 9.) per manus ab Apoſtolis tradita (§. 12.), hinc ex concordi Theologorum ſententia (§. 13.), tum ex Eccleſiæ precibus (§. 15.), rurſus ex ipſo munerum myſterio (§. 17.), poſtremo denique ex rationum momentis certo, atque perſpicue demonſtravi, Arabiæ Magos divinis Chriſtum honoribus affeciſſe, & qua Deum ſibi apprime cognitum ſolemnibus, ac legitimis cæremoniis adoraſſe.

21. Ex his autem ad Simonii, Baſnagiique argumenta eſt perfacilis, & perexpedita reſponſio. Sic vero Simonius. 1. Patres in quæſtione, quæ agitur, ſolis conjecturis moventur, 2. nec, quæ tantopere jactatur, Traditio certa eſt, conſtans, perpetua, talis, cui refragari non liceat. Si quæ enim ejuſmodi, ubinam gentium reperitur? 3. Profecto non deſunt ſacrarum litterarum Interpretes, qui dubii hæreant, an Magi Chriſtum ſummi Dei loco coluerint. Sunt ex hoc numero Auctores editionis Gallicæ Bibliorum, quæ ab anno 1534. ad 1541. prodiit Antuerpiæ, ſunt le Tourneux, Huræus, Lucas Brugenſis, Cornelius Janſenius, & omnium linguis, ac litteris celebratiſſimus Eſtius. Fieri ne potuit, ut hi Interpretes, homines doctiſſimi, & Pontificii conſtantem illam Patrum Traditionem, ſi quæ uſpiam eſſet, neſcierint, aut ſcientes, prudenteſque contempſerint? Quid quod Antuerpienſem illam editionem nonnulli Lovanienſes Theologi, & is magiſtratus, cujus eſt de doctrinæ impietate cognoſcere, approbarunt? Huræi autem in novum Teſtamentum notationes, itemque Annum Chriſtianum Tourneuxii Doctores, quos Sorbonicos dicimus, ſuis etiam ornavere ſententiis? 4. Præterea nihil adhuc Eccleſia de hac controverſia judicavit, 5. nec eadem ad religionis dogmata pertinet, 6. ut idcirco integrum ſit, quam quiſque malit, opinionem defendere, quin Tridentini Senatus decretum de ſacrorum librorum intelligentia violaſſe videatur; 7. id, quod exemplo etiam Cajetani perſpicuum eſt.



(a) Matthæi cap. 9. v. 2.

22. Atque hæc noſter ille tum in Apologia, tum in Diſſertat. Critica, & Appendice. Quid vero hinc exiſtat, nemo non viderit. Manifeſte enim apparet, fruſtra niſum eſſe Simonium, & multo labore nihil aliud, quam odium, & invidiam quæſiviſſe. Hoc unum ſine dubio effecit, præterea nihil. Nam a Philoſophis quidem rationem doctrinæ jure merito poſtulaveris; ſed in Theologico dogmate Majoribus noſtris debes, nulla etiam ratione reddita, credere, & quas ſententias de lege, de moribus, deque religione ab illis accepiſti, defendere. Ad hæc divinos fuiſſe cultus a Magis Chriſto puero adhibitos, Patres nec ſolis ſuſpicionibus, nec levibus conjecturis demonſtrant. Sunt enim in duplici differentia conſtituti. Alii item firmis argumentis efficiunt, ut Juſtinus, Tertullianus, Joannes Chryſoſtomus, Auctor Commentarii imperfecti, Auguſtinus, Leo Magnus; alii ſumunt quaſi pro conceſſo, & probato. Eſt id autem argumentum veritatis vel maximum, cum præſertim Patrum ſententia Matthæi nitatur teſtimonio, cujus auctoritatem, & vim ſolius vocabuli ambiguitas ne imminuere quidem poteſt (§. *6.*).

23. Porro in eo perfugio, quo proxime utitur, oſtendit noſter, ſe, ut parum erat in veterum lectione verſatus, ſic illorum teſtimonia non vidiſſe. Nam ubinam gentium priſca illa, cui maxime fidimus, reperiatur Traditio, uberrime, idque apertiſſime docui (§. *9.*), vix ut ipſi Geometræ, qui vim afferunt in docendo, probatiores argumentationes adhibeant. Eſt eadem antiquiſſima, conſtans, perpetua, quia Patrum, ſæculorumque omnium teſtata præjudiciis; certa autem, firma, & ejuſmodi, cui repugnare non liceat (nimirum *inconteſtable*), tum quia ab Apoſtolis, temporum ordine non interrupto, ad nos manavit (§. 12.), tum quia a concordi Majorum ſententia nefas eſt, ac ſcelus recedere, ſi quidem velimus eſſe Catholici. En cavillationes Simonii. Binis verbis, & ſola rerum diſtinctione perfacile exploduntur.

24. Neque enim ejus loci auctoritatem Interpretes, quos ſupra nominavit, elevant, vel infirmant. Nam primum ſi dubii animi pependiſſent, an Magi divinos Dei Filio honores habuerint, non illi quidem Simonium temeritatis abſolverent, ſed in eaſdem reprehenſiones inciderent. Quem enim de ipſis Theologiæ tironibus lateat, quinque, vel ſex Auctores, qui poſtremis ſcripſere temporibus, doctrinæ a Majoribus ſummo ſemper conſenſu, & ab ultima antiquitate traditæ nec fucum afferre poſſe, nec offundere tenebras, nec falſi ſuſpicionem injicere? Eandem igitur cum Simonio animadverſionem mererentur cenſoriam; niſi forte paul-

lo

lo humanius, atque benignius tractandi viderentur, quod ſi minus accurate loquuti aliquando ſint, ea ætate vixerint, cum nondum ſerpere cœperat tanta opinionum licentia, aut ſaltem hæc noſtrorum ſtudia necdum labefactarat. Verum quam ego humanitatem, facilitatemque commemoro? Nego, & voce, qua poſſum, maxima pernego, aliquid ambigue dictum noſtris excidiſſe Interpretibus: quod faciam, ut nullo negotio intelligant ii, qui mecum de ſingulorum ſententiis breviter cognoſcere volent. Etſi enim Antuerpienſis editionis Auctores ſecundum Matthæi verſum cap. 2. *venimus adorare eum*, exponentes hanc apponant notam, *Hebræi ſæpe utuntur hac voce*, adorare, *ut ſignent honorem exhibitum inclinatione corporis*, *uti exhibetur Regibus*, *aut Principibus Orientis*; nihilominus non affirmant, Chriſtum a Magis hoc ſolum cultu adoratum fuiſſe, ſed tantum, quæ generatim ſit vis, ſignificatioque vocabuli, explicant, idque deinde in contextu ad deſignandum honoris genus, quo ſumma divinitas colitur, plane, ac ſine fuco traducunt.

Tourneuxius etiam in Anno Chriſtiano undecimum Matthæi verſum, *& procidentes adoraverunt eum*, exponere dum inſtituit, *more*, ait, *Orientalium*, *qui honore proſequuntur Reges ſuos humi procidentes*. His verbis externam auctor venerationem, reverentiamque ſignificat apud Orientis populos uſitatam; ei tamen cultus interior, qui in cognitione mentis, voluntatiſque officio poſitus eſt, reſpondebat. Sic enim pergit Tourneuxius. *Non indignantur*, *cum vident infantem pauperem*, *ignotum*, *nullumque regiæ dignitatis inſigne gerentem*. *Fides eos evadere facit haſce omnes difficultates*. *Deus per ſidus ipſis loquitur*. *Munera*, *quæ Jeſu Chriſto Magi obtulerunt*, *conſentanea illi erant*, *quem adorabant*, *eumque tanquam Deum thuris oblatione reverebantur*.

Jam Huræi locum dum profert Simonius, ſine dubio ineruditis imponit. Equidem ille in notis ad latinam novi Teſtamenti editionem appoſitis interpretaturus hæc verba, *venimus adorare eum*, *forte*, inquit, *ut Deum*, *ſed id non ſequitur ex verbo*, *προσκυνεῖν*, *adorare*. Verumtamen in gallica editione, quæ poſtea prodiit, dum alterum Matthæi locum, *procidentes adoraverunt eum*, ediſſerit, notam illam de medio ſuſtulit, & in hæc verba, quæ jugulum Simonio petunt, ſententiam liquido ſuam aperuit. *Adoraverunt adoratione*, *quæ uni Deo debetur*, *eorumque fide omnem rationem ſuperante*. Doloſe ergo diſſimulavit Simonius tam perſpicuum teſtimonium. At enim in editione ſaltem latina ambigebat Huræus, Magi ne Chriſti divinitatem cognoverint.

rint. Neque hoc eſt conſequens. Non eo enim pertinet quæſtio, an iidem rem perſpectam habuerint, cum eſſent Hieroſolymis, ſed tunc ne, cum Bethlehemum ingreſſi puerum adorarunt. Quoad primum ut Patres, ſic Interpretes inter ſe differunt; quoad alterum ſummo omnes conſenſu conveniunt, ſalutaremque Magis notitiam concordiſſime impertiunt. Huræus autem ne verbum quidem, nec ſyllabam, qua diſſentire videatur.

Eadem ſtatuas velim de loco Cornelii Janſenii Gandavenſis Antiſtitis: locum ecce tibi. *Veriſimile eſt*, *Magos* (dum adhuc Hieroſolymis verſarentur) *agnoviſſe nati hujus Regis divinitatem*; *id tamen non conſequitur ex verbo adorare*, *quemadmodum plerique colligunt* (*a*). Quæ oratio fraudem certe non facit. Progreditur enim Janſenius, & poſtquam Magos Bethlehemum uſque comitatus aſſidue eſt, *quo conſtat*, adjicit, *eos alia quædam de puerulo hoc ſenſiſſe*, *quam vel de eo audierant*, *vel in eo viderant. Quod idem in eis effecit primum ſtellæ indicium*, *deinde & ſplendor quidam divinus*, *qui animas illorum illuſtrabat* (*b*). Idem paullo ante eximiam Magorum fidem impenſe laudaverat, & poſtea, dum perorat, Magorum exemplo utitur, ut adverſus Lutherum efficiat, divinos eſſe cultus a nobis ſacroſanctæ Hoſtiæ adhibendos. *Ergo ne Idololatræ fuere Magi illi*, *qui Chriſtum adoraverunt in cunabulis*? Iſtum vero locum totidem expreſſit verbis ex Alberti Pighii controverſiis (*c*), qui cum adverſus Lutheranos de cultu Euchariſtæ præſtando diſſereret, nihil magis perſuaſum habere potuit, quam hoc, noſtros nimirum Reges divinam Chriſti originem acutiſſime pervidiſſe. Alioquin Andabatarum more pugnaret.

Cum autem Lucas Brugenſis eodem, quo Pighius, & Janſenius, exemplo Lutheri impietatem refellat (*d*), & ſi ſuperius ſcriptum reliquerit, *non eſſe diſſimile vero*, *Magis his Chriſti Deitatem cognitam fuiſſe*, vereri tamen nullo modo potes, ne eadem, ac Simonius, opinetur; cum præſertim argumento id generis non contentus addiderit, *profecuti ſunt puerum honore eo*, *qui Regem*, *immo qui Deum decet*, paucisque interjectis, *in ſacrificium munera iſta dederunt*; ac tandem cum Leone Magno diſerte concluſerit, *mancam*, *neque veram* futuram fuiſſe Magorum in Chriſtum fidem, niſi eumdem una Deum, Regem, & hominem agnoviſſent. Quibus rebus quis non videat, quam pulchre iniquas de ſe ex malevolorum animis ſuſpiciones amoverit?

Sequi-

(*a*) Loc. ſup. cit. ad 2. Matth. cap. v. 2. (*b*) Ibid. ad v. 11.
(*c*) Controv. 8. (*d*) In cap. 2. Matth. v. 11.

Sequitur ergo, ut videamus de Eſtio. In quo defendendo Hieronymi opus non eſt eloquentia. Recitatis enim Matthæi verbis, *& procidentes adoraverunt eum*, e veſtigio vir doctus ita concludit ſententiam: *ergo & in Euchariſtia Chriſtus adorandus eſt* (*a*). Cum igitur quæſtioni, quam ſibi infra ad diſſolvendum proponit, *quomodo* Chriſtum Magi *adoraverint*, reſpondet: *omnino veriſimile eſt*, *quod adoraverint cultu latriæ*, cauſſam ſane non video, cur ſibi de reſponſione Simonius, tanquam de victoria gratuletur. Neque enim ea loquendi formula dubii ſemper animi indicium eſt, ſed hominis etiam eſt blande, & ſuaviter affirmantis: quæ vis, ut animadvertit Boſſuetius, non raro particulæ *forſitan* in ipſis novi Teſtamenti libris tribuitur. Appoſite quoque Eſtii locus explicaretur, ſi quis vellet, verba hæc, *omnino veriſimile eſt*, referri potius ad modum, quo Magi intellexerant, divinum cultum eſſe puero adhibendum, quam ad cultum ipſum revera a Magis adhibitum. Huic enim interpretationi conſequentia apud Eſtium verba lucem afferunt peropportune. *Sicut revelationem divinitus acceperunt, quod ſtella, quæ apparuit, ſignificaret natum Regem Judæorum, quodque ad eum adorandum cum muneribus proficiſci deberent; ſic plane credibile eſt, eos ex eadem divina revelatione, ſeu admonitione angelica didiciſſe, quo genere honoris eum colere deberent, nempe divini*. Salva ergo res eſt, ſi bipartita iſthæc adhibeatur reſponſio. Alterutra certe debet, non ſolum quia Eſtius infirmo alioquin adverſus Lutherum argumento uteretur, quod de viro perſpicaciſſimo temere exiſtimari non debet; verum etiam ea de cauſſa, quod ſententiam ſuam Maximi, veterumque Patrum auctoritate corroborat, unaque adjungit, Magos Jeſui Chriſto thus veluti Deo obtuliſſe. Itaque nec Eſtius, nec Lucas Brugenſis, nec Janſenius, nec Huræus, nec Tourneuxius, nec denique Antuerpienſes Interpretes doctrinæ a Majoribus noſtris ad nos propagatæ adverſantur; quod autem a Bibliothecæ Criticæ ſacræ Auctore Cherubino a S. Joſepho facete dictum accepimus, dum illos tanquam ſponſores appellat Simonius, miſerabilem magis, quam laude dignam eruditionem oſtentat (*b*).

25. Inutiliter etiam nobis opponit, eorum opera fuiſſe a moroſis Judicibus approbata. Quid enim mirum? Cum hac in parte ne latum quidem unguem ab antiquorum doctrina diſceſſerint? Deinde quot in dies libri emittuntur in manus hominum, quibus

 deinde,

(*a*) Difficil. Script. loc. in cap. 2. Matth. v. 11.
(*b*) Tom. 4. Differt. 14. num. 86.

deinde, licet antea magnifice probati ſint, ſuam Magiſtratus notam inurunt? Multa enim identidem vel quadam oſcitantia, vel callidis Auctorum artificiis Cenſorum etiam doctiſſimorum tum diligentiam, tum perſpicacitatem effugiunt. Molini liber ſuperioribus annis Panormi, Patavii, Romæ, alibi vigeſies; eoque amplius prodiit magna ubique commendatione doctrinæ. Proſcriptus eſt tamen. Prodiit anno 1643. famoſus Arnaldi liber *De frequenti Communione* ſingularibus plurimorum Galliæ Antiſtitum, Doctorumque aliorum præconiis, & ſuffragiis obvallatus. Proſcriptus eſt tamen. Thomas Waldenſis Carmelita lib. 2. De Sacramentis cap. 163. ſcripſerat, in extremo vitæ diſcrimine, ſacerdos ſi forte abſit, poſſe unumquemque de populo morituros ſacro oleo oblinere. Librum illum juſſu Martini V. Summi Pontificis Cenſores doctrina, ac dignitate præſtantes, Cardinalis S. Petri ad Vincula, & Bernardus Cavellicenſis Antiſtes legerunt, ac pro merito eximiis opus laudibus univerſe exornarunt. Profert Waldenſis locum Launojus, eodem abutuntur hæretici, ut confirment, Sacramenti ejus miniſtros eſſe majores natu, non Sacerdotes. Quid vero Theologi? Numquid præconiis in Waldenſis librum congeſtis moventur? Primum conamur doctrinam hominis in bonam, ut decet, partem interpretari. Deinde cum Soto, Eſtio, Bellarmino nihil veriti dicimus, ſi illud revera docuit, Waldenſem præter omnium opinionem ſenſiſſe, atque in hoc rerum genere, ut ſolent interdum homines, peccaviſſe. Itaque etſi ſuperiores Interpretes Simonii opinioni, vel potius errori prælucerent, eidemque cauſſam ſuam bonis, doctiſque Judicibus approbaſſent, is tamen nec hilum proficeret.

26. Nam quod comminiſcitur, nihil Eccleſiam de cultus genere, quo Magi Dei Filium proſecuti ſunt, ſtatuiſſe, nullius momenti eſt, & hominis imperiti. Neque enim illa conſuevit de dogmate ferre judicium, quod numquam antea, ne a contentioſis quidem, in dubium vocatum eſt, quod ingenua omnium conſenſione, quod perpetua, & conſtanti Patrum doctrina ubique percrebuit, quod denique ab ineunte ætate ex ipſa natura quodammodo arripuimus, hauſimus, expreſſimus. Siquidem, ut rectiſſime admonet in Concilii Tridentini hiſtoria Cardinalis Pallavicinus, *neceſſe non eſt, ut ſingulos articulos ſemper Eccleſiæ declaratio antecedat*; *alioquin . . . . . per aliquot ſæcula, quibus paucula quædam Eccleſia definivit, licuiſſet de reliquis omnibus dubitare*. Hæc ille lib. 6. cap. 18. edit. lat. Profecto ſi quæ hactenus demonſtravimus, pacato animo expenderit, nihil in noſtra ſen-

ten-

tentia jure quis deſideret, quo minus ab Eccleſia, ſi velit, reliquis fidei capitibus adſcribi poſſit.

27. Fruſtra enim reclamat Simonius, quæſtionem hic agi criticam, cui nulla cum fide, nulla cum religione neceſſitudo intercedat. Nam principio, Magos puerum Chriſtum veluti Deum veneratos fuiſſe, doctrina eſt ab Apoſtolis tradita (§. 12.), ideoque res, ut alia ejuſmodi, creditu neceſſaria. Sed ludit, opinor, talia dictitans Adverſarius. Numquid enim hic agitur de Copernicano ſyſtemate, aut de Telluris figura? Belliſsime vero. Agitur de cultu Chriſto in incunabulis præſtito, qui magnum momentum habet ad fovendam, atque inflammandam pietatem, magnum pondus, ut vis, & plenitudo fidei, ſine qua juſti eſſe non poſſumus, demonſtretur, de cultu agitur, quo detracto, firmum Eccleſiæ (repugnet licet Simonius) de Chriſti divinitate argumentum eripitur, quo ſublato, Magorum ſanctimoniæ vehementer detrahitur, nec ſatis tandem & Dei ſapientiæ (§.6.III), & ejus erga homines bonitati, ac liberalitati conſulitur (§.20.V). Quare non eſt ejuſmodi quæſtio, quæ hominum permitti poſſit ingenio, ſed religionem attingit, & omnino ad fidei dogmata pertinet, dogmata, inquam, quibus everſis, etſi fides non evertitur, quatitur tamen. Sic enim cum Melchiore Cano Theologi dijudicant dogmata, quæ licet Eccleſia inter fidei capita aperte non retulerit, tuetur tamen; & retinet, & univerſa approbavit antiquitas. Hinc conceptis verbis tradidit Boſſuetius, ſententiam, quam impugnat Simonius, ad Chriſtianæ diſciplinæ dogmata referri, Bertius novam hominis opinionem tanquam errorem perniciofum redarguit; & Benedictus XIV. non modo eandem audaciæ inſimulat, ſed Honorati etiam verbis Theologica nota dignam eſſe pronunciat. Nec mirum. Nam ut hæretica pertinacia abſit in evertendis doctrinis, quibus fides enervatur, & quatitur, at error gravis, & periculoſus certe quidem non abeſt. Ego nihilominus, hæc dum diſputo, Cenſoris munere non defungor, tantum differentis Theologi perſonam ſuſtineo.

28. Cum igitur res, de qua tota inſtituta eſt controverſia, ad fidem ſuapte natura pertineat, atque ipſa per ſe religionem attingat (§. 27.); hinc fit, Simonium, qui contra concordem antiquorum ſententiam Matthæi locum expoſuit, fregiſſe legem de ſacris interpretandis litteris olim a Tridentinis Patribus conſtitutam. Quod ut is præfracte negabat, ſic perperam ad diluendum crimen Cajetani nomine abutitur. Cajetano, inquit Simonius, in Præfat. ad Comment. in Pentath. eſt in optatis, ut *ſi*

*quan-*

*quando occurrerit novus ſenſus textui conſonus, nec a ſacra Scriptura, nec ab Eccleſiæ doctrina diſſonus, quamvis a torrente Doctorum ſacrorum alienus, æquos ſe præbeant Cenſores*. Non me præterit. Pallavicinus, qui Tridentinis comitiis interfuit, & quæ eſſet regulæ vis, probe intelligebat, Cajetanum tamen apud noſtros excuſavit, teſtificatus, nihil unquam a viro doctiſſimo proditum litteris, quod minus fortaſſe cum decreto congrueret (*a*). Neque id ignoraveram. At Canus homo ex eadem Familia, Pallavicino nec ingenio, nec doctrinæ gloria ſecundus, Tridentini & ipſe Senatus pars Collegam ſuum non copioſe ſolum, ſed etiam paullo acerbius, quam alias ſolet, dedita opera confutavit (*b*). Cæterum de Cani, & Pallavicini ſententiis viderint alii; ego hoc perſpectum habeo, Cajetani, & Simonii longe eſſe diſparem rationem. Nam ille æquitatem in Cenſoribus dum requirit, de interpretatione loquitur, quæ neque a divinorum librorum contextu, neque a doctrina Eccleſiæ abhorreat; poſt quæ quaſi adhuc ſubdiffideret, Reipublicæ illam dijudicandam relinquit; *ſub catholicæ*, inquit, *Eccleſiæ cenſura*. Nova autem Simonii explicatio, ut mittam alia, & a ſacris litteris diſſentanea eſt (§. *6.*), & Eccleſiæ doctrinæ tam e regione contraria, ut nihil magis (§. 15.). Quare cum maxima ſit inter utrumque ſententiarum, voluntatumque diſtantia, dum Simonius Cajetani fidem implorat, inſignem viro piiſſimo injuriam facit. Ad hæc non deſunt Theologi cum Cano arbitrantes, in exponendis divinis codicibus ne tunc quidem, cum de rebus religionis non agitur, a Patrum conſenſu diſcedendum eſſe: tanti ſemper faciunt vetuſtatem. Si qui vero interdum integrum ſibi putant diſcedere, tam modeſte, & verecunde ſe gerunt, ut quemadmodum venerandæ antiquitatis percupidos, ita Chriſti, Eccleſiæque diſcipulos poſſis agnoſcere. Talem ſe nuperrime præſtitit multæ lectionis, & doctrinæ vir Hieronymus de Prato. Qui cum in Diſſert. de Uxoris Lot culpa, & pœna (*c*) Moſis verba, quibus deſcribitur ejus peccatum, & mors, paullo aliter, quam conſueſſent veteres, explicanda ſuſciperet, idemque non levibus motus rationibus, quæ ipſis ſacris litteris nixæ eſſent, contenderet, mulierem eo, unde venerat, rediiſſe, honorem prius diligentiſſime præfatus eſt, ſibique, ut ea daretur venia, etiam, atque etiam a Lectoribus efflagitavit. De quo viro ego alias in libro ſecundo de Miraculis.

29. Nunc unum ſupereſt, ut miſſo Simonio, Baſnagii conclu-

(*a*) Lib. 6. cap. 18. (*b*) Lib. 7. de Loc. cap. 3. (*c*) In Obſerv. ad Tom. 2. Sulpicii Sev. edit. 1754.

Digitized by Google

cluſiunculas refellamus . Sunt enim ejuſmodi . Ut Magi ad religioſum ſe cultum converterent , oportuit , ut divinitatem Chriſti cognoſcerent ; nunc autem non cognorunt . Neque enim peritiores fuere Joſepho , quem pueri divinitas latuit , utpote in Ægyptum ad vitanda pericula fugientem ; vel Apoſtolis , quibus eadem plane ignota , antequam divinus Præceptor reviveret . Ex Magorum verbis nihil tale conſtat , quorum hæc ſumma fidei : *ubi eſt qui natus eſt , Rex Judæorum ?* Eidem natalem Meſſiæ locum, quem prophetæ manifeſte prædixerant , egregie ignorabant . Qui igitur divinam illius naturam , & originem reſcire potuerunt ? Cum præſertim , ut ex Tryphonis cum Juſtino colloquio patet , Judæorum , naſcente Chriſto , non ea eſſet opinio , Liberatorem humani generis natura Deum futurum ?

30. Verum , quod dixeram , rurſus confirmo , præ meque fero , eſſe has rationes ad tenue elimatas , immo indignas Baſnagio , homine illo quidem in Romanam Eccleſiam male animato, ſed tamen erudito. Etſi enim nec Joſephus , nec Apoſtoli primo quoque tempore Meſſiæ divinitatem vidiſſent , Judæi autem nullo modo, idem tamen de Magis affirmare non poſſumus; quippe cum ſalutaris illa Magorum cognitio argumentis ajentibus, multis porro illis, ac magnis firmiſſime a nobis demonſtretur. Non illud hic quæritur , quid contigerit aliis, quid de rebus ab inſtituto noſtro alienis ſuſpicetur Baſnagius; quid factum revera fuerit, veſtigamus. Poterat igitur ſagacitatem hanc odorandi animos in alia tempora reſervare : hoc in loco habet , per me licet, vacationem a munere . Ecce ergo Baſnagianas Machinas levi ictu contritas, uſque adeo, ut nec reſtaurationi ſit locus.

31. De reliquo aſſumptionis approbatio bonam partem falſa eſt, & levitate vacillat ſua . Nam Joſephus de pueri numine fieri certior potuit a Maria, factus eſt autem , cœleſti accepto nuncio, divinum fuiſſe ſpiritum , qui Sponſæ ſuæ , integerrimæ Virgini graviditatem attulerit. Nec Baſnagius muſſitare poteſt, qui verba illa apud Matthæum cap. 1. *hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: ecce Virgo in utero habebit , & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel: quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus:* ſuperius ſcripſerat , verba eſſe Angeli protrahentis cum Joſepho colloquium . Ibid. §. 7. Is enim locus apertiſſimum dat divinæ Chriſti naturæ teſtimonium . Itaque Baſnagius non ſolum conſectatur nugas, ſed nec ipſi ſatis cum Baſnagio convenit. Cæterum decuit, ne Joſepho pueri lateret divinitas, quo puerum pro ejus

me-

Digitized by Google

merito, dignitateque tractaret. Porro ejus in Ægyptum fuga, & alacritas, qua cœleſtibus obtemperat monitis, ut Filium furori Herodis eripiat, argumentum non eſt ignorantiæ, ſed animi indicium ſe totum ad Dei nutum, voluntatemque conformantis, nec curioſius, ut ſæpe facit cum ſuis Baſnagius, divina inveſtigantis conſilia.

32. De Apoſtolis longa eſſet oratio, niſi magnis ad exitum itineribus properaret. Hi enim Præceptorem ſuum Deum eſſe, Deique Filium natura, non munere, origine, non adoptione multis argumentis cognorunt. Cognorunt ex prodigiis, quæ in vivis edidit, ut ſe Dei eſſe Filium demonſtraret; cognorunt in monte, cum immutatus vultu, veſtibuſque ſic eſt, ut ejus facies Solis inſtar fulgeret, veſteſque nivis ſimiles viderentur; cognorunt, cum Joan. cap. 10. v. 10. ſe unum cum Patre eſſe teſtatus eſt; cognorunt denique ſæpiſſime alias. Sed loco omnium firmo argumento eſſe poteſt nobiliſſimum, & illuſtre Petri teſtimonium, qui, interrogatis a divino Præceptore diſcipulis, quod ipſi de ſe judicium facerent, *tu es Chriſtus*, reſpondit omnium nomine, *Filius Dei vivi*; cujus reſponſionis fructum cepit ampliſſimum. Jeſus enim Petrum intuens, egregium dictum laudavit, ſuæque illum Eccleſiæ ſumma cum poteſtate, cui nulla par, ſtatim præpoſuit. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* (a). Ex quibus exploratum plane fit, ſplendide mentiri Baſnagium, nec poſſe Magos præclara divinitatis Chriſti notitia ſpoliare.

33. At enim, inquit, ex Magorum verbis de notitia illa conſtat. Poſſem vehementer repugnare [11]. Sed concedatur, quod ſumit. Niſi enim ex verbis, conſtat certe quidem ex facto (§.6.), con-

(a) Matth. cap. 16. a v. 16. ad 18.

11 Nam certe Meſſiam, non ſolum Judæorum Regem Hieroſolymis quæſiverunt. Alioquin cur Herodes, cognita Magorum voluntate, Sacerdotum principes, & quotquot erant viri docti, & periti in ſacris litteris convocaſſet, ut eos de loco conſuleret, ubi Chriſtus edendus erat in lucem? Atqui apud Judæos per ea tempora non revocabatur in dubium appropinquantis Meſſiæ divinitas; ex Magorum igitur verbis, & cum Hebræis colloquio exiſtit, divinum eis nati pueruli numen ignotum non fuiſſe. Eſt argumentationis hujus propoſitio plane explorata, ut negari nullo modo poſſit. Sed de aſſumptione ſatis non liquet ob cauſſas, quas paullo infra ſubjicio. Quocirca argumento id generis, quod proferunt Calmetius (in 2. Matt. cap. v. 2.), & Honoratus a S. Maria (loc. cit. Conf. §. 3. art. 4. cum §. 2. artic. 5.), utendum non puto. Ago enim cum hominibus difficilibus, & moroſis, quibus vix Deus aliquis ſatisfecerit.

ſtat ex aliis argumentis, quæ magno numero allata, atque illuſtrata a me ſunt. Quod enim de natali Meſſiæ loco ſubjicitur, riſum potius movet, quam ſeriam confutationem deſideret. Eodem enim argumento poſſis conficere, Saulem Patris aſinas non reperiſſe, quia locum, quo diverterant, ignorabat. Atqui probe noverat Samuel. Quæſo, Baſnagi, te, an neceſſe fuit, ut Magi de Chriſti nativitate ex Prophetarum libris, quos neſciebant, aut ex Hebræorum ſermone cognoſcerent? Mihi ſatis eſt oſtendiſse, eam Magis fuiſse ſine dubio cognitam, atque exploratam, qua id autem via reſcierint, decernere, mea non intereſt.

34. Quamquam ſi vellem antiquitatis latebras perveſtigare, facile poſſem cum Honorato a S. Maria, Calmetio, aliiſque, niſi perſuadere, at contendere tamen, circiter Chriſti tempora non apud Judæos ſolum, verum etiam apud Gentiles communem percrebuiſſe ſententiam, appropinquare tempus, quo Liberator humani generis prodeat, atque hunc eſſe Deum. Id enim auctores illi patere arbitrantur ex Taciti (*a*), Suetonii (*b*), Plinii (*c*), Ciceronis (*d*), Virgilii (*e*), Suidæ (*f*) teſtimoniis, præſertimque ex locupletiſſimo Chalcidii loco deſumpto ex ejus commentario in Platonis Timæum. *Eſt quoque alia ſanctior, & venerabilior hiſtoria*, ait Chalcidius, *quæ perhibet ortum ſtellæ cujuſdam non morbos, morteſque denunciantis, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ converſationis, rerumque mortalium gratiam. Quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, quæſiſſe dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majeſtate puerili, veneratos eſſe, & vota Deo tanto convenientia nuncupaſſe* [12]. Quæ eo dixerim, ut appareat, quam demum vim ha-

(*a*) Hiſtor. lib. 5. (*b*) In Veſpaſ. (*c*) Hiſt. Nat. lib. 2. cap. 25.
(*d*) Lib. 2. de Divinat. (*e*) Eclog. 4. (*f*) In Auguſto.

12 Cap. 7. num. ad marg. 219. inter Oper. S. Hippol. Tom. 2. edit. Alb. Fabricii. De religione tamen Chalcidii non levis eſt inter doctos opinionum diſſenſio. Auguſtinus Juſtinianus ex Dominicana Familia in epiſtola ad Joannem Cardinalem Lotharingum, quæ extat ibidem ad calcem ſecundi voluminis poſt notas Meurſii, dubitare ſe ait, Hebræus ne fuerit, an Chriſtianus Chalcidius. Calmetius hominem a Chriſtianis ſacris non alienum facit (Diſſert. de Mag.), Joannes Albertus Fabricius in notis, quibus Commentarium illuſtravit, penitus Chriſtianum, moveturque tum hoc teſtimonio, tum ea etiam ratione, quod Chalcidius Oſiq Cordubenſi Pontifici opus ſuum inſcripſerit. At Thomas Maria Mamachius, ſcriptor egregie doctus, & elegans Fabricio adverſatur, & Chalcidium Gentilibus potius, quam noſtris adnumerandum exiſtimat (Orig. & Antiq. Chriſt. lib. 2. cap. 4. ſ. 2. in not.). In cujus ego ſententiam me libenter contulerim. Etenim multa ille peccat ex Platonica diſciplina deſumpta, quę cum religionis noſtrę ſcitis non cohęrent, ut ex toto Commentario poteſt intelligi, nec ſe unquam verbo Chriſtianum

habeant Baſnagiana ſophiſmata, non quod penitus eruditis illis viris aſſentiar. Ego enim aliunde non mediocriter vereor, ut quem præſtolabantur Judæi, Meſſiam natura, & origine fore Deum putaverint; etſi ex oraculis jamdudum editis ejus perfacile eſſet divinitatem colligere.

Rationem, qua moveor, paucis exponam, finemque faciam diſputandi. Legimus apud Matthæum, Servatorem, Ducemque noſtrum Phariſæorum repreſſurum ſuperbiam, ab illis ſciſcitatum fuiſſe, ecquid de Chriſto ſentirent, eumque cujus Filium eſſe ſtatuerent: cum reſpondiſſent autem cavillatores; *Davidis*, alio modo Servatorem preſſiſſe: *quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum dicens: dixit Dominus Domino meo ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus eſt* (a)? Hac quæſtione propoſita, obmutuerunt Phariſæi, evadendique viam nullam cum cernerent, demiſerunt auriculas. Qui tamen, ſi aliquid eis in mentem de Meſſiæ divinitate veniſſet, nullo negotio poterant ænigmatis nodum diſſolvere, & Chriſtum quidem, reſpondere, Davidis Filium futurum, qua hominem, qua Deum vero Conditorem, & Dominum. At illi nec verbum fecerunt, quod Judæi, etiam Chriſto vivo, humiliter admodum, & abjecte de humani generis Conſervatore, maximam ſaltem partem, ſentirent, opinantes pro rudi ſuo ingenio, fore illum eximium, & præpotentem Regem, qui totum terrarum orbem, ſuperbamque in primis Romam in ditionem, poteſtatemque ſuam redigeret. Quam tamen Magi ex Hebræorum ſermone haurire non potuerunt de divinitate Chriſti notitiam, cœleſti aliquo nuncio, vel certe inſtinctu, afflatuque divino acceperunt. Nam quin habuerint, adduci ex ſuperioribus in quæſtionem non poteſt. Ac Baſnagius hinc intelligat velim, quam non neceſſe ſit, ut experiamur, ſi forte poſſimus cornua commovere diſputationis ſuæ. Eſt enim, quo adverſum nos utitur, argumentum tanquam levis armaturæ quaſi quædam, quæ nihil noceat, orationis excurſio.

num palefacit. Fuit in eadem ſententia Dominicus de Colonia in Opere de la Relig. Chretien. autoriſ. par le temoig. des ancièns Auteurs Payens Tom. 1. part. 1. cap. 6. §. 1. Hinc autem, niſi aliud, id certe commodi capiemus, ſacrę de Magis hiſtorię ne ipſos quidem Ethnicos cęteria doctiores fidem detraxiſſe.

(a) Cap. 22. v. 43. & ſeqq.

F I N I S.